EPISTOLA APOLOGETICA
PRO
ECCLESIA LVTHERANA
CONTRA
CALVMNIAS ET OBTRECTATIONES
STEPHANI IAVORSKII
RESANENSIS ET MVROMIENSIS METROPOLITAE

AD
AMICVM MOSCVAE DEGENTEM
SCRIPTA
A
IOANNE FRANCISCO BVDDEO
THEOL. D. ET P. P.



IENAE, SVMTV VIDVAE MEYER.

M DCC XXIX.



Q. D. B. V.

EX litteris tuis, VIR DOCTISSIME, longe humanisſimis intellexi, eſſe apud vos haud paucos, quibus STEPHANI IAVORSKII, Reſanenſis & Muromienſis metropolitae, liber, quem *lapis* ſiue *petra fidei orthodoxis ſanctae eccleſiae filiis ad confirmationem & ſpiritualem aedificationem, offendentibus autem ad lapidem offenſionis & ſcandali, ad reſurrectionem & emendationem* inſcripſit, quiue Moſcuae anno proxime elapſo MDCCXXVIII. lucem publicam adſpexit, vehementer diſpliceat; eo quod auctor iſte, quidquid inuenire aut conuectare conuiciorum, calumniarum, & obtrectationum potuit, ſine fine & ſine modo in proteſtantes coniiciat. Id porro eumdem virum agere, obſeruas, vt proteſtantes inuiſos Ruthenis reddat, horumque contra illos excitet odia, nihilque magis efficere adlaboret, quam vt ab omni cum iis abſtrahat commercio, &, ceu peſtem quamdam, fugere doceat; eamque ob cauſſam non tantum exteros, ſed & inter ipſos Ruſſorum proceres, viros munerum non minus dignitate, quam ingenio & virtute praeſtantes, quibus res proteſtantium longe rectius perſpectae ſint & exploratae, habere in votis, vt innocentiae quis ſuſcepto patrocinio, nebulas haſce diſcutiat, veritatisque agat cauſſam. Ad-

A dis

dis denique, esse etiam viros cordatos, veritatisque amantes, qui hocce, quidquid est officii, non nostrae tantum ecclesiae, sed & Ruthenis, a me praestari cupiant; praesertim quum horum plurimis, quae in schediasmate: *de ecclesia Romana cum Ruthenica irreconciliabili*, dicta sunt, haud ingrata fuerint.

Ego quidem non miror, IAVORSKIVM tam alienum a protestantibus hac ratione demonstrasse animum, postquam accepi, eum ab ineunte aetate eiusmodi in Polonia magistris in disciplinam traditum fuisse, qui iam pridem illos, quos haereticos vocant, conuiciis proscindere, calumniisque, pro lubitu confictis, omnium exponere odio, diuini cultus haud postremam existimarunt esse partem. Nec dubito, quin & inter Ruthenos sint, qui de protestantibus talia sibi persuadeant, quae ab omni veritate quam longissime sunt remota; quum multis occasio desit, veriora rectioraque condiscendi, nonnulli quoque eam rerum, quae nostra apud illos contigit aetate, mutationem aegre ferant, & a patria auitaque superstitione inuiti admodum se abduci patiantur. Idque vel inde patet, quod quum Petrus I. siue magnus, Russorum imperator, proferri in lucem hocce opus noluerit, quin potius ad aeternas condemnauerit tenebras, eo deinceps, vt & ipso auctore, mortuo, exstiterint, qui illud, ceu foetum quemdam posthumum, typis committere, omniumque subiicere oculis, suarum duxerunt esse partium; Twerіensi insuper archiepiscopo illud mirum in modum laudante, & vt *librum vtilissimum*, *summaque rerum diuinarum sapientia compositum*; immo *non tantum*

tum vtilem ad confirmandos animos in dogmatibus orthodoxae ecclesiae, atque ad retundendas blasphemorum haereticorum blaterationes, sed & valde necessarium, commendante. Quare & haud difficulter illorum accedo sententiae, qui, Ruthenorum non minus, quam nostrae ecclesiae, interesse, existimant, vt calumniae istae ac obtrectationes refellantur; illorum quidem, vt ab errore liberentur, viaque ad veritatem cognoscendam iis aperiatur; huius autem, vt innocentia eius vindicetur, incommodaque varia ab illis, qui doctrinam, quam profitetur, sequuntur, remoueantur. Immo si dicendum, quod res est, grauius, nisi veritas in apricum producatur, ipsis Ruthenis, quam nobis, inde imminet periculum; quum Romanae ecclesiae addictis haud obscure blandiatur IAVORSKIVS, immo ad illorum captandum fauorem, certe ad animum erga illos propensum significandum, tam iniquum erga protestantes vbique se praebeat. A nostra autem ecclesia vt nullam sibi, aut libertati suae, metuendi Rutheni habent caussam; ita Romanum contra iam dudum hoc egisse pontificem, vt eos sub iugum mitteret, nemini illorum ignotum esse potest. Consulant historiarum monumenta, euoluant ecclesiae annales, perpendant, quid inter Romanos episcopos & patriarchas Constantinopolitanos actum sit, quae inter eos agitata sint certamina, & videbunt, non minori studio his pro libertate pugnandum fuisse, quam illi pro imperio, quod in vniuersam ecclesiam iniquissimo ausu sibi vindicant, dimicarunt. Quum aliter, quod cupiunt Romanae ecclesiae addicti consequi nequeunt, vt in-

cautos decipiant, emollire verba, crassiores dissimulare errores, crepare consensum, vnionis & pacis prae se ferre studium, protestantes inuisos reddere, & ceu haereticorum pessimos describere. Hae illorum artes sunt, haec strategemata. Vbi iam principes rerumque dóminos in partes suas pertraxerunt; mutata scena, aliam prae se ferre faciem, expedire fulmina, vi coërcere dissentientes, in reluctantes igne, gladio, fune, saeuire. Haec si experiri aliquando Ruthenos iuuet, credant IAVORSKIO, detestentur protestantes, colant Romanenses, horumque collum suum tandem submittant iugo.

Vtriusque itaque ecclesiae, & Ruthenicae, & nostrae, quum hic agatur caussa: recte omnino iudicarunt, qui, vt obtrectationibus istis IAVORSKII obuiam iretur, & calumniandi, quae in opere eius regnat, paullisper coërceretur libido, consultum duxerunt. A me autem dum id fieri voluerunt, prout scribis; suo forte erga me plus, quam decebat, tribuerunt amori; nec rationes quoque desunt, quae me, quo minus istud in me susciperem munus, deterrere possent. Postquam vero, quid ecclesiae, quid veritati debeam, & quod beneficium in alios conferre censeatur merito, qui errorem illorum animis eximit, paullo accuratius ponderaui, mecumque expendi; desiderio & votis virorum istorum non relinquere locum, nefas duxi. Ea itaque, quae ex opere isto IAVORSKII excerpta mecum communicasti, quae speciminis instar sint, ex quo reliqua cognosci queant, etsi quaedam iam *actis eruditorum Lipsiensibus*, quae cura & studio viri illu-

illuſtris IOANNIS BVRCARDI MENCKENII prodeunt, ex ipſis hiſce litteris tuis inſerta ſint, primum referam; vt, quae deinceps circa ea, vt tuae, & virorum praeſtantiſſimorum, qui id expetiuere, voluntati morem geram, monenda fuerint, eo rectius intelligi queant. Ex praefatione nimirum ſequentia refers: *Vobis igitur fidelibus in honorem (poſitus eſt lapis fidei) ſed aduerſariis reuera eſt lapis, quem reiecerunt aedificantes, ille lapis angularis factus eſt lapis offenſionis & ſcandali. Atque ad eum offendunt, qui verbo (Dei) repugnant. Haec de Iudaeis & ethnicis. Sed quid dicimus de haereticis veteribus & hodiernis. Nonne & his Chriſtus atque diuina eius verba lapides ſunt offenſionis? Profecto ita eſt. Si hac de re vis conuinci, inſpice catalogum haereticorum ſancti Epiphanii, Damaſceni &c. Nonne deteſtabili Ario verba Dei fuerunt lapides offenſionis &c. Nonne Macedonio, qui ſpiritum ſanctum impugnauit &c. Anno Chriſti MDXVII. nouus aduerſus ſanctam eccleſiam Goliath inſurrexit Martinus Lutherus, contumeliis laceſſens exercitum Dei viui, & varia conuicia atque probra aduerſus ſponſam Chriſti quaſi rugitu ſuo eructans. Scio aduerſarium hunc arcum ſuum in papam & Romanam eccleſiam intendiſſe, ſed tela eius venenata & nos attingunt. Verum enim vero prout lapis Dauidis veteri Goliatho, ſic huic nouo lapis offenſionis exitii cauſſa fuit. Nam ſacra ſcriptura, quae nobis eſt aedificationis & confirmationis, illi fuit lapis offenſionis, ſcandali, & exitii. Conſidera, quae dico, & perſpice veritatem. Haec verba Chriſti: quae intrant in os hominis non contaminant eum, ſed quae egrediuntur ex ore, huic lapis offenſionis & ſcandali fuerunt. Ad haec offendens,*

reiecit sacra ieiunia ex sancta ecclesia. Verba Dei, ne facias tibi imaginem, nec vllam similitudinem, ipsi lapis offensionis fuerunt. Inde reiecit sacras imagines ex sancta ecclesia. Verba Christi: abrogastis siue eleuastis praecepta diuina, per traditiones vestras, huic lapis offensionis fuerunt, hinc reiecit traditiones. Verba Christi, quae in cruce protulit: Deus mi, Deus mi, cur me dereliquisti, lapis offensionis fuerunt Ioanni Caluino. Hinc non erubuit infelix (horreo haec referens) Christo in cruce moribundo desperationem attribuere. Sunt praeterea plurima alia, ad quae offenderunt, de quibus plura in hoc libro reperies &c.

Iungere his liceat, quae ex *admonitione eius ad orthodoxos christianos* commemoras, quaeue ita se habent: *Signa falsorum prophetarum Christus ipse declarat: cauete vobis, inquit, a falsis prophetis, qui ouinis pellibus tecti ad vos veniunt, intus autem sunt lupi rapaces, ex fructibus eorum dignoscetis eos. Ecce! signa falsorum prophetarum; primum: veniunt ad vos. Consuetudo haec enim & mos est haereticorum; non missi, sed proprio motu, peruersis cum doctrinis suis veniunt, & noua quaedam auribus insinuant fidelium, praesertim in sacra scriptura haud exercitatorum. Sed sistite gradum parumper, amici, dicite mihi, vnde venitis? a quo missi estis ad hoc negotium peragendum? &c. Clarum est, vos ea ratione, qua Christus, missos non esse, nec de tali excellentia gloriari potestis, dummodo archi-rabinos vestros, Martinum Lutherum & Ioannem Caluinum, in memoriam reuocatis; a quibus omnes haereses nostri aeui prouenerunt. Respondete igitur, quis vos misit? quomodo nuntiatis euangelium (siue praedicatis) si missi non estis? Nos Deus misit.*

ſit. Vos autem reſpondete. Audimus reſponſionem, ſed friuolam. Nonne hoc (veſtrum) celebratis miraculum, quod tam breui tempore conuertiſtis, aut, vt rectius dicam, peruertiſtis ad impiam doctrinam veſtram ſuſcipiendam tot regna & prouincias? Sed & Ariani olim tale iactabant miraculum, & nunc de ſimili gloriantur Mohamedani. Vos latam aperiiſtis vitae humanae viam; ieiunia ſacra abrogaſtis; bona opera tamquam ad ſalutem non neceſſaria reieciſtis; poenitentiam & mortificationem carnis tamquam fabuloſa habetis; coelibatum & voluntariam paupertatem deridetis; virginitatem rem exiſtimatis impoſſibilem. Hac ratione ſine vllo labore tot populos breui in veſtras pertraxiſtis partes, & peruertiſtis. Num hoc eſt apoſtolatus veſtri miraculum? O! apoſtolos, aut potius apoſtatas & aduerſarios ſanctae eccleſiae. Tertium ſignum falſorum prophetarum: veniunt ad vos induti pellibus ouinis, ſed intus ſunt lupi rapaces &c. Pellis eſt ouina, qua ſe tegunt, ſi de fide praedicant, fide ſola chriſtianum ſaluari &c. Sed lupi ſunt rapaces, dum hac pietatis ſpecie omnibus peccatis portas aperiunt. Quid (enim) ex hac impia doctrina ſequitur? Hoc ſequitur: trucida, furare, adulterare, falſum dic teſtimonium, fac, quae lubet; ipſi ſatanae aequalis fias malitia; nihilominus omitte metum; tantum crede; fides in Chriſtum ſola ſaluat. Ita hi lupi laruati docent. Pellem ouinam prae ſe ferunt, dum euangelio ſeu laeto de Chriſto nuntio gloriantur, & euangelici vocantur. Sed lupi ſunt rapaces, dum nouum quoddam euangelium, non autem vetus illud a ſanctis patribus, generalibus conciliis & tota orthodoxa catholica eccleſia receptum, adnuntiant. Corporis inclinationem, quae ſanctis fit per imagines repraeſentatis reiiciunt. Sed hoc

ipſos excitat, & dentes quaſi exacuit ipſorum, quod ſumma cum pietate adſpiciant apud nos diuinas imagines argento, auro, & pretioſis gemmis conuenienter & pie ornatas. Hunc ſanctum theſaurum ſacrilegi deripere cupiunt, (vt variis in regnis iam fecerunt,) ſpecie zeli malitiam ſuam occultant, ad exemplum Iudae (Iſchariotae) qui non de pauperibus ſollicitus, ſed fur erat. Sed ne multis ſim vobis moleſtus, poſtremum a Chriſto propoſitum ſignum horum ouinis pellibus tectorum luporum referam. Ex fructibus ipſorum pernoſcetis eos. Sed quales ſunt fructus hodiernorum haereticorum? Cogitatisne aduerſarii, quod ignoremus vitam archi-rabini veſtri, a quo omnes recentiores haereſes prouenerunt, Martini Lutheri? Totus orbis vaferrima ipſius facta nouit, & veſtram miratur coecitatem; quod talem deceptorem ſequamini, latamque ingresſi ſitis viam vitae commodorum amore capti. Propter has diabolicas fraudes vos orthodoxae eccleſiae filios rogo &c. Amicitiam cum talibus ineundam, aut ſermones ſerendos quoscumque, probibet atque interdicit ſanctus Paulus, praeſertim iis, qui ſacrarum litterarum parum gnari ſunt, II. Tim. II. 16. III. 5. Tit. III. 9. 10. II. Theſſal. III. 14. Haec monita Pauli ſequere atque obſerua, orthodoxe eccleſiae fili, & euita amicitiam atque ſermones cum peruerſis, memor dicti pſalm. XVI. &c.

Sufficere haec poſſe, rectiſſime, VIR DOCTISSIME, ſcribis, vt inde, ceu ex ſpecimine quodam, cuiusmodi reliqua ſint, cognoſcatur. Satis enim ſuperque IAVORSKIVS iis animum ſumma non minus caecitate, quam zelo inconſulto, qui prope a furore abſit, laborantem prodidit. Haud difficulter etiam, quibus olim vſus ſit magiſtris, perſpicere

ſpicere licet, quos & vt in arte de haereticis, quos ſibi finxit, quidlibet comminiſcendi, ſi non ſuperaret, certe aequaret, operam dare voluit. Nec tamen quidquam dixit, quod non centies iam ab aduerſariis noſtris dictum, ſed millies iterum a noſtratibus refutatum ſit. Id non ſine ratione aliquis miretur, quod ſtatim, vbi de beato Martino Luthero loqui incipit, ſe Ruthenicae eccleſiae addictum eſſe, eiusque ſacra ſequi, parum memor eſſe videatur; ſi modo ſerio illi addictus fuit, & non potius inter proditores eius atque transfugas numerandus ſit, qui id ſibi datum credunt, idque omni conatu agunt, vt Romani pontificis eam ſubmittant iugo. *Nouus*, inquit, *aduerſus ſanctam eccleſiam Goliath inſurrexit, Martinus Lutherus, contumeliis laceſſens exercitum Dei viui, & varia conuicia atque probra aduerſus ſponſam Chriſti quaſi rugitu ſuo eructans.* Quo iure Lutherum cum Goliatho contendat, deinceps diſquiremus. Nunc id ſolum obſeruamus, Romanam eccleſiam ab eo vocari *exercitum Dei viui*, itemque *ſponſam Chriſti.* Cum hac enim Luthero rem fuiſſe conſtat, nec ipſe ignorat, immo fatetur potius auctor. Itane vero? Num a genuino eccleſiae Graecae ac Ruthenicae hoc exſpectes filio? Nemo tam hoſpitem temere ex hiſtoricorum monumentis retulit animum, qui ignoret, quanta per multa iam ſaecula Romanae eccleſiae cum Graeca interceſſerint certamina: quas artes, fraudes, machinationes Romani pontifices adhibuerint, vt imperio ſuo ſubiicerent Graecos: quanto rurſus, quamue immani eos proſequuti ſint odio, quum iſtud ex voto ſuo non procedere intelligerent.

Qui rurſus pro Graecis ſteterunt, horumque contra iniquiſſimos Romanorum praeſulum auſus egerunt cauſſam, numquam fere non tyrannidem, & inexplebilem dominandi libidinem iis obiecerunt, ſimulque errores grauiſſimos & dogmata falſa, ceu Romanae eccleſiae propria, reiecerunt & condemnarunt. Hosne itaque eccleſiam Romanam pro exercitu Dei viui, aut pro ſponſa Chriſti habuiſſe exiſtimas? Certe id PETRVS patriarcha Antiochenus, non credidit, non MICHAEL CERVLARIVS patriarcha Conſtantinopolitanus, non LEO Achridiae archiepiſcopus, non NICOLAVS Methonenſis, non EVSTRATIVS Nicaenus, non GREGORIVS Corcyrenſis, non BASILIVS Achridenus, non NICOLAVS Hydruntinus, non THEODORVS LASCARIS, non GREGORIVS ille, qui contra *blaſphemias* VECCI, Latinorum defenſoris, ſcripſit, non ANDRONICVS, non BARLAAMVS, eo ſaltem tempore, quo Graecorum partibus adhaeſit, non MAXIMVS PLANVDES, non NILVS atque NICOLAVS CABASILAE, non GREGORIVS PALAMA, non MACARIVS MACRES, non DEMETRIVS CHRYSOLORAS, non MACARIVS Ancyranus, non MARCVS Epheſius, non GEORGIVS GEMISTVS, ſiue PLETHO, non MANVEL Peloponneſius, non MELETIVS PEGAS patriarcha Alexandrinus, non NECTARIVS patriarcha Hieroſolymitanus, non innumeri alii, qui pro Graecis contra Latinos calamos ſtrinxerunt, ſuaeque eccleſiae ſuſceperunt defenſionem, eiusque adeo veros & genuinos ſe eſſe filios demonſtrarunt. Hiſce ſi NICEPHORVM BLEMMIDAM, IOAN. VECCVM,

GEOR-

GEORGIVM Metochitam, CONSTANTINVM Meliteniotam, SIMONEM Cretensem, BESSARIONEM cardinalem, GEORGIVM Trapezuntium, &, qui omnes, vt eruditione, ita forte & studio erga Romanam ecclesiam superauit, LEONEM ALLATIVM, aliosque eiusdem generis opponere velis, hosce omnes aut pecunia corruptos, aut aliis vitae huius commodis inductos, ecclesiam Graecam deseruisse, & ad Latinorum transiisse castra, vnde & λατινόφρονες dici solent, notius est, quam vt a me moneri debeat; vnde & illorum hic in censum non venire testimonia, nulliusque plane esse ponderis, res ipsa docet.

Vt vero eo luculentius pateat, quo iure IAVORSKIVS ecclesiam Romanam, in qua emendanda corrigendaque Lutherus laborauit, *exercitum Dei viui, sponsamque Christi*, adpellitet, operae pretium fuerit, nonnullos ex ipsis Romanae ecclesiae addictis producere testes, qui nos condoceant, qualis ecclesiae istius eo tempore, & antea quoque, fuerit facies, cum ad tantum opus suscipiendum, non sine singulari Numinis instinctu, Lutherus excitaretur. Fuerunt equidem ex nostratibus, qui magno numero eiusmodi veritatis testimonia, summo studio collecta, exhibuerunt; sed cum ea plurimis Ruthenorum haud dubie ignota sint, iuuabit pauca quaedam, eaque selectiora, recitare, inde vt condiscant, qualis illa ecclesia fuerit, quam IAVORSKIVS, ceu sponsam Christi, nobis commendat. Saeculo decimo quarto, vt ab eo exordiamur, GVILIELMVS DVRANDVS, siue DVRANTVS, Mimatensis in Gal-

lia episcopus vixit, & anno MCCCXI. *tractatum de modo celebrandi generalis concilii* conscripsit, in quo ecclesiae Romanae genuinam faciem viuis coloribus depingit. Prodiit is Parisiis anno MDXLV. & Lugduni anno MDCXXXV. & iterum Parisiis cum aliis NICOLAI DE CLEMANGIIS & PETRI DE ALLIACO tractatibus. Hic statim, initio a cleri Romani reprehensione ducto, ita loquitur: *Sequuti sunt viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, correctionem vero habuit suae vesaniae. Nam subiugale mutum, quod hominis voce loquutum est, prophetae insipientiam probauit. Quod etiam hodie accidit, cum tam stulta & dissoluta perpetrentur in ecclesia Dei a dictis personis ecclesiasticis, quae deberent esse lumen aliorum, & lucernae super candelabrum positae, iuxta id, quod dominus ait, sensus hebetant Iudaeorum, & etiam paganorum. Et etiam illi, qui ratione diuinae agnitionis omni modo carent, istorum detestantur insaniam, & eorum distorta & Deo contraria itinera sanius sapiendo redarguunt.* Idem dum rationem reformandi ecclesiam edisserit, curiae Romanae vitia, fastum & luxum episcoporum, flagitia sacerdotum, acriter perstringit, & quod Romana a primitiuae ecclesiae facie quam longissime absit, diserte pronuntiat. Vnde eam emendatione quadam ac correctione opus habere, sponte sua consequitur. Et hinc iterum: *Proh! dolor!* inquit, *quia videtur in ipsa ecclesia verificari dictum Esaiae (cap. XIII. 20. 21.) in figuram Babylonicae ciuitatis, gloriosae in regnis, & inclytae in superbia Chaldaeorum, de qua dicitur: Erit cubile draconum & pascua struthionum, occurrent daemonia, onocentaurus, & pilosus clama-*

clamabit alter ad alterum &c. Vtinam non verificetur verbum in clero Esaiae dicentis: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. * Circa initium eiusdem saeculi decimi quarti DANTES ALIGERIVS floruit, Florentinus, generis non minus nobilitate, quam ingenii praestantia clarus. Is in poëmate *de paradiso*, italica lingua scripto, conqueritur: *papam in lupum euasisse, oues Christi a vera via diuertisse, propterea euangelium deseri, patrum scripta negligi, solis decretalibus incumbi; de Nazaretho, vbi Gabriel alas suas expandit, neminem cogitare, Vaticanum tantum & alia selectiora Romae loca a papa & cardinalibus attendi. Et haec*, inquit, *militiae Christi, cui nomen dederat Petrus, coemiterium fuerunt, cum interim doctrinam Romae vere sepeliuerunt. Olim illatum ecclesiae gladio bellum, inferri iam fame, sublato pane illo, quem Deus ei alendae dederat, nempe verbi diuini praedicatione &c. Scripturam diuinam aut omnino a tergo relinqui, aut violenter torqueri; vnumquemque in suis commentis sibi plaudere; euangelium vero taceri. In cathedra toto anno vanas quaestiones, meras fabulas, personare; ouiculas interim hoc vento pastas tabescere.* **

Possem porro commemorare ALVARVM PELAGIVM, poenitentiarium papae, tandemque Syluensem in Lusitania episcopum, magnae auctoritatis ista aetate virum, qui itidem saeculo adhuc decimo quar-

* *part. III. tit. XXVIII.* add. MATTHIAS FLACIVS, Illyricus, in *catalogo testium verit. num. CCXXXI. p. m. 610. seqq.*

** Recitat haec eius verba IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, in *historia papatus, period. V. §. CXXVI. p. 155.*

quarto floruit, & de quo NICOLAVS ANTONIVS pronuntiat: *Splendidissima quidem fax dissipandae horum temporum caligini, qua excaecatus omnis fere status hominum vitia palam virtutum loco amplectebatur*, (ita enim vir hicce doctus veritati testimonium praebet) *doctrina fuit Aluari Pelagii.**** Exstant enim eius *de planctu ecclesiae libri duo*, Vlmae primum anno MCCCCLXXIV. editi, & non semel deinceps recusi; in quibus licet animum, pontifici satis addictum, demonstret; ipsa tamen veritatis vi impulsus summam ecclesiae corruptionem, in sacri praesertim ordinis viris conspicuam, adeo non dissimulat, vt aperte potius interdum profiteatur. Sic, *lib. II. artic. I. fol. m. 81.* diserte *ob nimiam scelerum frequentiam euiluisse clericos* docet, & *ecclesiam esse plenam filiis clericorum*, quos scilicet ex concubinis seu meretricibus susceperant. Porro, *quibus vitiis clerici vt plurimum sint obnoxii*, *lib. II. artic. XXVIII. fol. 133.* disputat, & inter alia de iis adserit: *intersunt conuiuiis & nuptiis; tabernas sine necessitate intrant; magicis artibus & auguriis siue incantationibus multi attendunt; arma etiam offendibilia ferunt; in bellis pugnant multi; illicitis lucris & questibus se immiscent; vsuras frequenter exercent; male dispensant res ecclesiae; filios & consanguineos de bonis ecclesiae nutriunt; magis in philosophicis & libris saecularibus, quam diuinis student;* & quae reliqua sunt eiusdem generis plura, quae longo ordine recenset. Mitto reliqua, quae ex eodem auctore magno adhuc proferri possent numero, & ad

*** *biblioth. hisp. vet. tom. II. lib. IX. cap. IV. §. CCXX. p. 100.*

ad FRANCISCVM PETRARCHAM, gente Florentinum, archidiaconum Parmensem, eumdemque inter maxima istius saeculi lumina referendum, me confero. Inter opera eius Basileae anno MDLXXXI. iunctim edita, post *epistolarum ad viros quosdam ex veteribus illustriores librum* sequitur *epistolarum sine titulo liber,** in quo epistolae nonnullae exstant, in quibus veram & genuinam curiae Romanae faciem ingenue exhibet atque depingit. Et in *epistola* quidem *vndecima,*** *vt vides*, inquit, *eunt res, immo vero non eunt, sed retrahuntur; nihil est praesidii in virtute. Iustitia periit, libertas abiit, aequitas victa est, libido regnat, saeuit auaritia, feruet inuidia, omne genus hominum suos patitur tyrannos. Ad laudes ore & animo canendas Deo geniti, totam vitam in contentionibus & aemulationibus agimus. Insignis illa Iesu Christi aula, illa olim arx diuini cultus eximia, nunc tandem peccatis nostris id agentibus coelesti auxilio destituta, immanium spelunca latronum facta est. Ex vno quidem fonte descendit origo mali, accedunt fontes alii minores, ex quibus ingens omnimodae miseriae flumen exaestuat. Quo necesse est propediem pereamus, supremisque malorum obruamur fluctibus, ac nisi humanae perfidiae diuina pietas occurrerit, triste naufragium patiatur ecclesia.* In praecedenti *epistola nona**** ita scribit: *Quidni autem id accidat, vbi nemo est, cui verum verbum absque graui conuicio dici possit? Vbi nulla pietas, nulla charitas, nulla fides habitat. Vbi tumor, liuor, luxus, auaritia cum artibus suis regnant; vbi pessimus*

* *p.* 710. *sqq.*
** *p.* 722.
*** *p.* 720.

mus quisque prouehitur, & munificus praedo ad coelum tollitur, iustus pauper opprimitur, vbi simplicitas amentiae, malitia sapientiae nomen habet; vbi Deus spernitur, adoratur nummus, calcantur leges, irridentur boni, vsque adeo, vt iam fere nullus, qui irrideri possit, adpareat. O! mores hominum, o! saeculum nostrum &c. In *epistola* autem *duodecima* * hunc in modum loquitur: *Quis oro non fugiat Babylonem, & vitiorum simul omnium, ac laboris ac totius miseriae moestam domum? De qua quidem aliquid nosse debes. Visa loquor, non audita, fato meo pessimo in eas terras puer eiectus, cui vsque ad hanc aetatem &c. magnae illic partes aetatis in gemitibus abierunt. Noui expertus, vt nulla ibi pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reuerentia, nullus timor, nihil sancti, nihil iusti, nihil aequi, nihil pensi, nihil denique vel humani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant. De veritate quidem sileo. Nam quis vsquam vero locus, vbi omnia mendaciis plena sunt, aër, terra, domus, turres, vici, atria, plateae, porticus, vestibula, aulae, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulae, diuersoria aedium, penetralia templorum, iudicum subsellia, pontificum sedes? &c. Si illic fuisti, & nullo tuo maiore negotio distractus, in nefariam illam scelerum scenam acumen ingenii atque oculos intendisti, alium iudicem non optabo, quam scilicet omnia ibi virtute, veroque sint vacua, plena criminibus, plena fallaciis, plena fucis, plena blanditiis, plena pessimis artibus, ambitionis, auaritiae, superbiae, liuoris &c.*

Quo maiora saeculo decimo quinto summa ecclesiae, qua doctrinam, qua mores vitaeque rationem,

* p. 723.

nem, tum reliquorum, tum maxime pontificum, episcoporum, aliorumque ſacri ordinis virorum, corruptio incrementa ſumſit, eo plures exſtiterunt, qui, dum emendationem eccleſiae correctionemque optarunt, aut integris hunc in finem compoſitis ſcriptis ſuaſerunt, foedam eius ſimul deſcripſerunt faciem, nihilque minus, quam ſponſam Chriſti, vt IAVORSKIO quidem videtur, eſſe teſtati ſunt. Haud vltimum inter eos locum tenet IOANNES GERSON, ſiue IOANNES CHARLIERIVS DE GERSON, academiae Pariſienſis cancellarius, cuius quanta in concilio Conſtantienſi fuerit auctoritas, neminem fugit. Quo quidem in concilio id omni etiam ſtudio egit, vt eccleſiae emendationem promoueret, quorſum etiam ſcripta eius, de *auferibilitate papae ab eccleſia*; item, *de defectibus virorum eccleſiaſticorum*; vt & *de mediis vniendi & reformandi eccleſiam in concilio vniuerſali*, comparata ſunt. Atque vltimum quidem iſtud, quum paullo ante concilium Conſtantienſe ſcripſiſſet, in ipſo concilio normae inſtar atque regulae ſibi eſſe voluerunt, qui ad conſultandum de eccleſiae emendatione conſtituti ſunt; quorum tamen labores & conatus pontificum Romanorum, & eorum qui cum illis faciebant, fraus atque aſtutia irritos reddidit. Poſſem GERSONI iungere ex ipſo cardinalium numero PETRVM DE ALLIACO, cardinalem Cameracenſem, & FRANCISCVM ZABARELLAM, cardinalem, vt eo tempore vocabatur, Florentinum; poſſem porro iungere THEODORICVM DE NIEM, GOBELINVM PERSONAM, aliosque complures, qui omnes vno ore confeſſi ſunt, corru-

pta ita cuncta ac deprauata esse in ecclesia, vt reformatione quadam ac emendatione indigeat. * Sed quum omnia adferre longum nimis & a nostro instituto alienum foret, missis reliquis NICOLAVM DE CLEMANGIIS, Catalaunensem, notissimum saeculi decimi quinti scriptorem, tantum audire iuuabit. *Opera* eius *omnia* cura studioque IOANNIS LYDII, Lugduni Batauorum anno MDCXIII. prodierunt; inter quae primo statim loco conspicitur liber de *corrupto ecclesiae statu*, ex quo pauca quaedam recitare operae fuerit pretium. Statim ab initio caussas malorum, quibus tum ecclesia premebatur, indicaturus, *nam*, inquit, *cum ecclesiae ipsius ministros, (quorum dos & possessio Christus esse debet) ab omni contagione terrenae cupiditatis excussos esse oporteat, cum pudicos esse conueniat, & ab omni inquinamento, carnisque petulantia alienos, qui coelestia sacramenta, pretiumque dignissimum redemtionis humanae tractant, conficiunt, aliisque conferunt; cum pii esse debeant, qui piissimum iudicem vicaria sorte repraesentant &c. Sed pro his atque aliis, quibus adornari deberent virtutibus, omnium colluuione vitiorum contaminati sunt.* ** Quumque porro docuisset, ex tribus hisce vitiis: *luxu, fastu* & *cupiditate propria*, omnia mala in ecclesia orta esse; ad ipsorum pontificum describenda vitia sese confert. *Summi etenim pontifices,*

* Plures adhuc recenset IACOBVS LENFANT, in *historia concilii Constantiensis*, gallice scripta, *lib. VII. §. V. p. 626.* add. IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, in *historia papatus period. V. §. CXLVII. p. 188.*

** *cap. I. p. 4.*

ces, inquit, (*vt tandem ad eos veniam*) *qui quantum primatu & auctoritate se videbant ceteris praestare, tantum in huius primatus & supremae potestatis argumentum, plerumque se super alios libidine dominandi extulerunt, cernentes emolumenta Romani episcopatus, Petrique patrimonium super regna quaeque amplissimum (licet eorum ignauia satis iam attenuatum) ad status reuerentiam, quem vltra imperatores & reges omniumque gentium principes in excelso extolli statuerunt, nullo modo suffectura, in aliena ouilia, lana & lacte copiosa, incurrerunt.** * De ista Romanorum episcoporum auaritia, & insatiabili nummorum cupiditate, artibusque, quibus ad eam explendam vtebantur, copiose differit, & hinc de litigiis curiae Romanae verba faciens: *praeterea*, inquit, *multa alia me praeterire necesse est, si ex hac velim abysso emergere, quot in Romana curia sint fraudes, quot doli, quot calumniae, quot per illos litium venatores pecunia corruptos contra innocentum iura insidiae, quot venalia illic iudicia? quantum ibi aurum valeat ad euertendam iustitiam? quam raro pauper optatum finem de lite referat, si modo aduersarium opulentum nactus fuerit? &c.*** Ad cardinales tum progreditur, & summatim de iis pronuntiat: *cardinales omnis nequitiae auctores.* Hoc ita explicat: *Quis enim nesciat feram, truculentissimam, omnia exterminantem, consumentem, profligantem, sectionis scilicet schismaticae horrendam pestem, per nequitiam cardinalium in ecclesiae gremium iniectam, fotam, auctam, propagatam, tamdiu inueteratam, quae quanta cum pernicie per tres ferme & viginti annos*

* *cap. V. p. 7.* ** *cap. IX. p. 10.*

annos ecclesiam omnibus viribus, omni laude, omni honore nudauerit, quantum eam in profundum omnium miseriarum & malorum demiserit, vix Tullius, si reuiuisceret, satis eloqui posset. Transeo Simoniacas apud papam intercessiones, transeo patrocinia venalia, transeo corruptiones, aut promotiones turpissimas & damnatissimas, quae omnes fere istis auctoribus & suasoribus fiebant &c. Nec enumerare volo eorum adulteria, stupra, fornicationes, quibus Romanam curiam etiam nunc incestant. Nec referre obscoenissimam illorum familiae vitam, a dominorum tamen moribus nullatenus absonam. Sed nec illud etiam refero, quod vsuras & commercia publice exercent &c. * Atque hinc quum facile intelligi queat, cuiusmodi ea sint, quae de episcopis, ceterisque sacri ordinis viris, itemque de vita & moribus monachorum disserit; plura vt ex eo adferamus, necesse non est.

Sufficere equidem haec possunt, inde vt omnes perspiciant, quo iure ecclesia Romana a IAVORSKIO *exercitus Dei viui* & *sponsa Christi* vocetur; facere tamen nequeo, quin ex tanto testium veritatis numero, quorum eo plures fuerunt, quo magis tempus illud, quo melior quodammodo ecclesiae reddi coepit facies, adpropinquauit, vnicum adhuc addam. Is est auctor libri, qui inscribitur *onus ecclesiae*, quemue IOANNEM, episcopum Chemensem esse ferunt. Certe in fronte editionis, quae Coloniae anno MDXXXI. prodiit, quaue ego vtor, diserte dicitur: *auctor est Ioannes, episcopus Chemensis, reuerendissimi archiepiscopi Saltzburgensis a suffragiis, sicut*

* *cap. XII. p. 13.*

ſicut nobis a fide dignis poſt huius libri impresſionem, relatum eſt. Sunt, qui eum iam anno MDXIX. immo anno MDXV. lucem adſpexiſſe volunt. Sed qui poſterius adſerunt, haud dubie falluntur, quum auctor iſte iam Lutheri, eiusque contra indulgentias certaminis mentionem faciat. Vnde &, quod circa initium ſuſceptae a beato Luthero eccleſiae emendationis, vixerit, colligere licet. In eo omnes conſentiunt, de quo & nullum prorſus eſt dubium, auctorem Romanae eccleſiae fuiſſe addictum, virum inſuper eruditum & cordatum, cuius adeo hac in re non poteſt non magni ponderis eſſe teſtimonium. Et generatim quidem de hominum iſtius aetatis, quae ante reformationem, & circa eius initium fuit, caecitate, hunc in modum verba facit: *Audi, quid coeleſtis aquila praedixit de hominum caecitate in cauda praeſentis quinti ſtatus inualeſcente: & quintus angelus effudit phialam ſuam, id eſt, plagam ignorantiae, ſuper ſedem beſtiae, id eſt, ſuper multitudinem peruerſae chriſtianitatis. Nam iſta angeli effuſio eſt noſtri excaecatio, qua Deus nos continue percutit. Et factum eſt regnum eiusdem beſtiae tenebroſum. Per regnum denotatur eccleſia militans, quae modo eſt ſpelunca latronum; & conſtituitur ex quinque virginibus fatuis, quae, acceptis lampadibus fidei, non ſumſerunt ſecum oleum boni operis &c.* * Speciatim deinceps, *de indiſpoſitione*, vt vocat, *curiae Romanae* verba faciens, *nimirum*, inquit, *eccleſiaſtica modo ſublimitas multifariam eſt lacerata, hoc in apocalypſi oſtenditur in apertione ſexti ſigilli, id eſt, moderni noſtri tempo-*

* *cap. XVIII. fol. 32.*

temporis. Quando ſol, qui eſt ſpiritualis potentatus, factus eſt niger, quia non ſerenum coelum, ſed tetrum infernum aperit, propterea peruerſus pontifex nuncupatur angelus abyſſi. Et luna, id eſt, poteſtas ſaecularis, eſt ſicut ſanguis contra eccleſiam tyrannizando. Et ſtellae, id eſt, praelati, qui in eccleſia lucere deberent, de coelo, hoc eſt, de coeleſti conuerſatione ceciderunt ſuper terram, ſequendo terrenam cupiditatem. Exin, totius eccleſiae cauſatur occaſus. Imprimis ſedes beſtiae, id eſt, eccleſiae peruerſae, eſt in curia Romana, cuius regnum eſt tenebroſum. Nam de Hieroſolyma in typo Romanae eccleſiae legitur: quia rex Iuda, id eſt, princeps eccleſiae, fecit abominationes peſſimas: propterea dicit dominus: ecce! ego inducam mala ſuper Hieruſalem, & delebo eam, ſicut deleri ſolent tabulae &c. * Integris deinceps itidem capitibus ** agit de *exceſſibus epiſcoporum*; de *praelatorum aliorumque curatorum vita vitioſa*; de *peruerſitate religioſorum & capitularium clericorum*; de *criminibus communis cleri &c.* ex quibus ſi praecipua ſolum momenta delibare vellem, limites tamen multum transgreſſura tractatio noſtra eſſet, quibus eam circumſcribere mecum conſtitui.

Quodſi vero haec IAVORSKII amicos, aut qui cum eo faciunt, & haud dubie ex eadem cum illo diſciplina prodierunt, nondum inducant, vt, vehementer eum erraſſe, credant, quando eccleſiam iſtam, quacum Luthero pugnandum fuit, pro *exercitu Dei viui*, immo *ſponſa Chriſti* venditauit; idem quoque

* *cap. XIX. §. V. & VI. fol. 35.*

** *XX. ſeqq.*

que integrorum conciliorum, immo ipſorum Romanorum pontificum comprobare teſtimoniis poſſum. Atque ad concilia quod attinet, ſtatim nobis occurrit Piſanum iſtud, ad ſchiſma, quod inter pontifices, qui ſummam iſtam dignitatem ſibi vindicabant, exortum, mirum in modum eccleſiam turbabat, lacerabatque, tollendum, anno MCCCIX. conuocatum. Atque hoc etiam tempore FRANCISCVS ZABARELLA, cardinalis, cuius antea iam facta mentio, librum conſcripſit, quo probauit, concilii pariter ac imperatoris eſſe, vnionem & emendationem eccleſiae inſtituere. Sed & PILEVS, Genuenſis archiepiſcopus, longo ſermone coram Gallis, ad concilium iſtud proficiſcentibus, habito, foedam eccleſiae faciem ex funeſto illo ſchismate ortam, hinc & ſummam morum, qua clericos, qua reliquos homines corruptionem acerbe deplorauit, ſimulque *adeo quid* in iſto concilio agendum eſſet, *ſignifi*cauit.* Quumque in eo PETRVS DE CANDIA, cardinalis Mediolanenſis, qui *deinceps* ALEXANDRI V. nomen adſumſit, pontifex electus eſſet, inter alia eccleſiae reformationem, in ſe ſuſcepit. Quae licet ſequuta non ſit, manifeſtum tamen eſt, patres iſtius concilii eam, ob ſummam, quae vbique regnabat, labem, neceſſariam iudicaſſe. In concilio deinceps Conſtantienſi, anno MCCCXIV. conuocato, omnes vno veluti ore eccleſiae emendationem reformationemque vrſerunt, conſtitutique tandem ſunt, quibus hoc negotium datum erat, vt, quo

* conf. IAC. LENFANT *hiſt. concil. Conſtant. lib. VII. §. X. p. 630.*

vt, quo pacto iſta correctio & emendatio omnium commodiſſime inſtitui atque obtineri poſſet, conſultarent, deliberarentque. Orta vero deinceps in eodem concilio diſceptatio eſt, num iſta emendatio decernenda prius eſſet, quam nouus pontifex eligeretur, quod cum Sigismundo, imperatore, Germani & Angli cupiebant, an vero, eo electo demum de ea cogitandum, quod alii, illi cumprimis, qui curiae Romanae rebus volebant conſulere, contendebant. Quumque ex illorum, quibus poſterius placuit, voto res cecidiſſet; Martino V. qui in iſto concilio pontifex electus eſt, pulcherrima oblata fuit occaſio, ſpem iſtam, quam de eo multi conceperant, eludendi, veramque eccleſiae emendationem, quam cordati & boni viri omnes tanto deſiderio exſpectabant, impediendi.* Idem de concilio Baſileenſi, quod deinceps ſequutum eſt, obſeruandum. Non deerant in illo viri pii & docti, qui *reformationem eccleſiae in capite & membris* optabant, & ſerio vrgebant; ſed nec deerant rurſus, qui, vt conſilia haecce ſalutaria irrita redderent, omnes ingenii & animi intendebant vires. Recteque WERNERVS ROLEVVINCKIVS, ſaeculi iſtius ſcriptor, pronuntiat: *In hoc concilio* (Baſileenſi) *multa bona inſtituta fuerunt, pro reformatione eccleſiae in capite & in membris. Habuit principium glorioſum, ſed finem humilem & tribulatione plenum, propter ſchiſma &c.* **

Ad

* conf. IAC. LENFANT *l. c. lib. VI. §. XI. p. 553. §. XLVI. p. 597. ſeqq.* alibique.

** in *faſciculo temporum*, qui exſtat in IO. PISTORII *ſcriptoribus rerum german. tom. II. fol. 89.*

Ad pontifices autem Romanos quod attinet, primum Clemens v. hic in censum venire poterat, quippe qui ad concilium Viennense, anno MCCCXI. conuocandum, hac, praeter alia, caussa se inductum videri voluit, vt in eo de ecclesiae emendatione consultatio institueretur. Immo GVILIELMO DVRANDO, Mimatensi episcopo, supra iam a nobis laudato, mandauit, vt rationem, qua id fieri posset, ostenderet. Quod licet vir iste ingenuus optima fide in libro, *de modo celebrandi concilii generalis*, praestitisset; monitorum tamen eius saluberrimorum adeo nulla est habita ratio, vt res omnis ad constitutiones quasdam rediret, in quibus de rebus, ad religionem spectantibus, pro lubitu aliquid decernendi, facultatem pontifex ille sibi tribuit, quae deinceps sub *Clementinarum* nomine sunt editae. Accedunt vero & aliae rationes, quae abunde nos condocent, vt suam potius, quam ecclesiae, caussam in hocce concilio ageret, Clementi constitutum fuisse; quamuis simul, summam ecclesiae corruptionem, & quod emendatione indigeret, eum fassum esse, luculenter inde pateat. Nec dubium, quin & ex reliquis pontificibus quibusdam id perspectum fuerit, etsi animum, vt hisce malis medelam adferrent, inducere non potuerint. Certe, serio quemquam ex illis hoc egisse, non constat, si Hadrianum VI. excipias, qui eo tempore, quum emendatio ecclesiae a Luthero inchoata magnum iam strepitum daret, summae rerum in ecclesia Romana admotus est. Virum hunc apertum & simplicem, artiumque alios fallendi prorsus ignarum,

magnisque virtutibus praeditum fuisse, omnes vno ore fatentur. Ad cuius laudem hoc sufficit, quod ipsemet SFORTIAS PALLAVICINVS fateatur, plurimis, iisque solutioris vitae Italis electionem eius *magno fuisse moerori, vel ideo, quod immodicas morum correctiones sibi metuerent, cum virtutem seueriorem multitudo quidem veneretur, raro ad imperium extollat.* * Qui itaque ecclesiae consultum cupiebant, praeclara quaeuis atque egregia de hocce pontifice sibi pollicebantur, talemque oportere iudicabant esse, qui perditis ac profligatis orbis christiani rebus ferre auxilium deberet. Singulari quadam ratione id significauit CORNELIVS AVRELIVS, Gaudanus, cuius quippe exstat *apocalypsis, siue visio mirabilis, super miserabili statu matris ecclesiae, & de summa spe eius reparandae ex inopinata promotione venerandissimi domini, domini Hadriani &c.* Quem librum, dum primus in lucem protraxit CASP. BVRMANNVS, ** vel hoc nomine ea haud indignum fuisse, pronuntiat, *** *quod liberrime vitia clericorum, & eorum, qui suo tempore ecclesiastica moderabantur negotia, prodiderit.* Addit porro: *Neque tantum infimi ordinis clericorum vitia redarguit, verum & ipsos cardinales, episcopos, praelatos, aliosque, qui summae rei ecclesiasticae praefecti erant, nullis virtutibus, quibus apostoli, quorum se successores iactant, praediti & conspicui erant, ornatos, sed in*

* in *vera concilii Tridentini historia lib. II. cap. III. §. I.*

** in *Hadriano VI. siue analectis historicis de Hadriano sexto, Traiectino, papa Romano*, Traiecti ad Rhenum MDCCXXVII. *p. 259. seq.*

*** in *praefatione*, operi isti praemissa.

ſed in omne genus nequitiae, luxuriae & libidinis ſe immerſiſſe, fateri non erubeſcit. Tantis vero vitiis ac ſceleribus cum contaminati eſſent praeſules, & ſummi rerum eccleſiaſticarum moderatores, miſerum profitetur eccleſiae ſtatum, eumque non emendari, neque in melius corrigi poſſe docet, niſi aliquis praeſideat ſanctitate morum, doctrina, eruditione, aliisque virtutibus praeditus & conſpicuus. Haec eum in finem recitaui, vt eo luculentius inde pateret, qualis eorum, qui inter Romanae eccleſiae addictos melioris notae erant, iudicio eccleſia fuerit, quam ab Hadriano, pontifice, corrigi atque emendari cupiebant. Atque haec omnia pontifici huic nota ſatis atque perſpecta fuiſſe, vel inde manifeſtum eſt, quod anno MDXXII. Franciſcum Cheregatum, epiſcopum Aprutinum, ad comitia Norimbergenſia miſit cum litteris & mandatis, in quibus magnam eccleſiae corruptionem, deprauationemque ingenue faſſus eſt, ſimulque occaſionem imperii ordinibus praebuit, vt huic eius nuntio *centum* illa ſatis nota *grauamina nationis germanicae* exhiberent, cum grauiſſima, vt ea emendarentur, obteſtatione. Quae iterum documento eſſe poſſunt, quam miſera eo tempore eccleſiae fuerit facies, & quanto conſenſu omnes, ſaltem quos commodorum ſuorum ſtudium non excaecauerat, eius correctionem, atque tot vulnerum ſanationem exoptauerint. Enarrant copioſius, quod dixi, PAVLVS SARPIVS, qui ſe PETRVM SVAVEM POLANVM dici voluit,* SFORTIAS PALLAVICINVS,** & IO-

* in *hiſtoria concilii Tridentini lib. I. p. 31. ſeqq.*

** in *vera concilii Tridentini hiſtoria lib. II. cap. VII.*

& IOANNES SLEIDANVS,* quorum nemo hac in re in dubium vocauerit fidem. Candor autem istius pontificis, quem hac in re demonstrauit, atque ingenua confessio illis, qui ecclesiae emendationem rebus suis minime expedire existimabant, vehementer displicuit; vnde non deerant, qui mox prudentiam, mox aliud quid in eo desiderarent, certe ad ecclesiae regimen, cuiusmodi scilicet illi id esse voluerunt, minime aptum esse censuerunt. Congerit talia, qui & ipse eiusdem est sententiae, SFORTIAS PALLAVICINVS, qui & citra ambages pronuntiare non dubitat, *Hadrianum fuisse optimum sacerdotem, sed pontificem re ipsa mediocrem;* merito ideo castigatus a viro doctissimo, ecclesiaeque Romanae itidem addicto, IOANNE LAVNOIO, in epistola quadam, cuius summa hisce indicatur verbis: *Hadrianus VI. defenditur aduersus cardinalem Pallauicinum & alios aulae sectatores, qui Hadrianum ad regendam sedem Romanam minus idoneum fuisse calumniantur.* ** Et sane serio constitutum Hadriano fuisse, emendare ecclesiam, vel inde constat, quod eius rei initium aliquod in ipsa curia Romana fecerit, frementibus licet & indignantibus, qui sua commoda multum ecclesiae praeferebant saluti, vt pluribus, qui vitam pontificis huius descripsit, GERARDVS MORINGVS exponit. Interim non tantum plurimae maximaeque illi obiiciebantur difficultates, quo minus voti sui compos fieri posset, sed & mors praematura ac inopinata spem omnem eius opera a sordibus istis, quibus

* *commentarior. de statu religionis &c. lib. III. p. m. 70. seqq.*
** *epistolar. part. IV. epist. VII. p. 340. seqq.*

quibus inuoluta erat, ecclesiam repurgatum iri, abrupit. Nec animi laetitiam, ob obitum pontificis huius, dissimulare potuerunt, qui nihil magis, quam ecclesiae & curiae Romanae correctionem metuebant, vt a viris fide dignis proditum memoriae est;* quemadmodum & eum omnino ab eiusdem generis hominibus veneno e medio sublatum, nonnulli tradiderunt. ** Quantumuis autem isti Hadriani conatus omni destituebantur fructu, plena quoque qua doctrinam pariter ac mores longe corruptissimos ecclesiae emendatio ab eo exspectari non poterat; luculentissime tamen ex iis, quae de illo commemorauimus, patet, pontificem huncce miseram foedamque ecclesiae faciem perspectam habuisse, correctionisque summam agnouisse necessitatem. Nec eam prorsus negauit aut negare potuit, qui illum in sede Romana excepit Clemens VII. etsi candorem Hadriani ingenuamque confessionem, vtpote cum Romanorum pontificum commodis pugnantem, minime probaret. Partem enim quamdam grauaminum nationis germanicae, quorum antea facta est mentio, se correcturum simulauit, neglectis reliquis, *eo quod*, vt ipse aiebat, *auctoritati pontificis derogarent, & haeresin saperent.* Concilium porro, quod Carolus V. imperator ad componenda, quae circa religionem exorta erant dissidia, aptissimum iudicauit, quouis modo auersatus est, eaque ratione, quam alienus ab ecclesiae emendatione esset, satis demonstrauit.

* conf. CASP. BVRMANNVS in *notis* ad GER. MORINGI *vitam Hadriani p.* 77.

** quos laudat idem BVRMANNVS *l. c. p.* 79.

ſtrauit. Nec mirum, tum huncce, tum alios pontifices, aegre admodum tuliſſe, ſi quis concilii mentionem faceret, aut, ſi ſe illud conuocaturos, ſimularent, inuitos admodum & contra animi feciſſe ſententiam; quum non ſine horrore quodam eorum, quae in Conſtantienſi & Baſileenſi concilio geſta erant, recordarentur, euentus etiam deinceps comprobauerit, quanto labore, quot artibus, quot fraudibus opus illis fuerit, vt concilium eiusmodi coiret, quod ſe totum ad illorum nutum componeret, quale Tridentinum fuiſſe conſtat. In ipſa tamen illa pontificum Romanorum, aliorumque, qui cum eccleſia iſta faciebant, lucta & concertatione, dum mox concilium declinare volebant, mox illud ſe adprobare ſimulabant, interim ne aliud, quam quod pontifici placeret, conuocaretur, omnem mouebant lapidem, clariſſima euidentiſſimaque ſummae corruptionis, qua eccleſia Romana laborauerit, continetur confeſſio. Omnia enim iſta non ad ſanandа, ſed ad tegenda eccleſiae vulnera, immo ad ſanationem veram & ſolidam impediendam comparata erant. Sed vt de reliquis pontificibus, qui eccleſiae emendationem neceſſariam eſſe iudicarunt, adhuc aliquid dicam, referri inter illos etiam ſolet Marcellus II. qui tamen quum dies XXI. tantum ſummo huic in eccleſia Romana muneri praefuerit, nihil prorſus, quod momentum traheret, efficere potuit; quamquam non deſint ex ipſis eccleſiae illi addictis, qui iſtud viribus eius maius fuiſſe negotium libere profiteantur. Ad Paulum itaque III. potius me confero, qui, quo maiori id agebat ſtudio, vt omnibus,

bus, quamuis contra animi ſententiam, perſuaderet, ſe eccleſiae ſerio cupere emendationem, eo luculentius de ſumma eius corruptione perhibuit teſtimonium. Non tantum enim concilium aliquod generale conuocandi voluntatem prae ſe tulit, ſed & delectis quibusdam cardinalibus, vt de ratione repurgandi eccleſiam, decusque, quod amiſerat, illi reſtituendi, conſultationem inſtituerent, mandauit; vnde tandem *conſilium* illud *delectorum cardinalium & praeſulum aliorum de emendanda eccleſia iuſſu papae Pauli III. conſcriptum, & exhibitum anno* MDXXXVIII. enatum eſt. In quo quum morbi & vulnera eccleſiae curiaeque Romanae apertius detegerentur, quam ipſe volebat pontifex, & grauis inſuper ſuper eo inter cardinales oriretur contentio; impoſito omnibus ſacro de hoc negotio ſilentio, illud occultare voluit; nec tamen impedire potuit, quo minus nihilo ſecius euulgaretur. Qua quidem ratione factum, vt publicum aliquod atque perenne ſummae iſtius, qua eccleſia Romana laborabat, corruptionis exſtaret monumentum.

Atque haecce, quae hucusque attulimus, teſtimonia, ex innumeris, quae adhuc addi potuiſſent, pauca, fide tamen digniſſima, immo omni exceptione maiora, qui paullo accuratius ponderauerit, facile perſpiciet, eccleſiam iſtam Romanam tot erroribus, tot vitiis, omni inſuper ſuperſtitionis genere pollutam atque contaminatam, quacum Luthero res fuit, adeo *exercitum Dei viui*, prout IAVORSKIO videtur, atque *ſponſam Chriſti* dici non poſſe, vt potius nemini vitio verti queat, ſi eodem, quo

IAVORS-

IAVORSKIVS, ſed longe iuſtiori zelo abreptus, eam, prout iſtum in modum corrupta ac deprauata fuit, exercitum draconis, & ſponſam diaboli, dicendam contendat. Hinc & infeliciter admodum cum Goliatho Lutherum comparat, quippe in quem longe rectius quadrat, quod de Dauide dicitur, eum, quum Goliathum adgreſſurus eſſet, ita loquutum: *tu venis ad me cum gladio, & haſta & clypeo; ego autem venio ad te in nomine domini exercituum, Dei agminum Iſrael, quae tu probro adfeciſti; 1. Sam. XVII. 45.* Solo enim verbo Dei munitus, omnibusque humanis praeſidiis deſtitutus, Lutherus acceſſit ad pontificem, cardinales, epiſcopos, immo reges, principesque, qui ab illorum ſtabant partibus, quibus vtique nec gladii, nec haſtae, nec clypei deerant, interim impedire non poterant, quantumuis omni conatu id agerent, quo minus longe plurimi, immo integrae vrbes, prouinciae, regna ad veritatis agnitionem perducta, veram euangelii doctrinam amplecterentur. Non aliis itaque armis Lutherus, & qui cum eo in repurganda ab erroribus & ſuperſtitione, eccleſia elaborarunt, vſi ſunt, quam quae Paulus apoſtolus commendat *II. Cor. X. 4. 5.* quum contra, quaenam Romanenſium ſint, neminem, niſi qui ea, quae ab iis in Germania, Gallia, Belgio, Anglia, alibique ad exſtirpandos haereticos, quos vocant, geſta ſint, prorſus ignorat, fugere poteſt.

Vt autem IAVORSKIVS proteſtantes Ruthenis inuiſos reddat, quae Lutherus ad vitia & errores eccleſiae Romanae detegendos refellendosque geſſit, non minus ad Graecos pariter ac Ruthenos ſpectare,

aliis

aliis persuadere cupit. *Scio*, inquit, *aduersarium hunc arcum suum in papam & Romanam ecclesiam intendisse, sed tela eius venenata & nos attingunt.* Qua in re ne incautis & rerum imperitis, quod illi haud dubie constitutum fuit, fucum faciat, paucis, quae veritati consentanea sunt, exponere iuuabit. Luthero non cum Graecis aut Ruthenis, sed cum pontifice Romano eiusque adseclis rem fuisse, omnibus notum est. Non minus vero constat, nostrates non semel arctiorem cum ecclesia Graeca coniunctionem quaesiuisse. Eum in finem PHILIPPVS MELANCHTHON DEMETRIO, ecclesiae Constantinopolitanae diacono, qui Wittebergam venerat, ibique per semestre commoratus fuerat, domum reuertenti epistolam commisit, graece exaratam, ad IOSEPHVM, patriarcham Constantinopolitanum, vna cum Augustana confessione graece etiam translata, inde vt condisceret, nihil nos docere, quod non cum scriptura sacra, veterisque ecclesiae scitis, consentiret. Deinceps circa annum MDLXXV. commercium aliquod litterarium de capitibus religionis christianae, cognitu ad salutem necessariis, inter IEREMIAM, patriarcham itidem Constantinopolitanum, & IACOBVM ANDREAE, aeque ac MARTINVM CRVSIVM, illum theologiae, hunc graecae linguae in academia Tubingensi professorem, institutum fuit, promouente hoc STEPHANO GERLACHIO, qui legati apud Turcas caesarei Dauidis Vngnadii a concionibus sacris fuit; idque pariter eo comparatum erat, vt innocentia nostrae ecclesiae doctrinaeque puritas Graecis innotesceret,

ſceret, & hoc pacto arctiori coniunctioni occaſio praeberetur. Quod quidem licet fructu atque ſucceſſu exoptato caruerit; ex reſponſo tamen patriarchae patuit, Graecos a Romana non minus, quam a noſtra diſſentire eccleſia, immo a Romana magis, quam a noſtra. Nec tamen, quod in quibusdam diſſentiamus, nobis vitio verti poteſt; quum non ex cupiditate Graecam aut Ruthenicam eccleſiam impugnandi, ſed veritatis ſtudio diſſenſus ille oriatur, qui ſtatim euaneſceret, ſi qui ſecus ſentiunt, illi locum relinquere vellent. Dogmata itaque noſtra a Graecorum ac Ruthenorum placitis diuerſa, vti perquam inique a IAVORSKIO tela vocantur; ita multo minus venenata dici poſſunt, niſi hoc ita intelligas, quod ad exſtinguendos errores ac ſuperſtitionem enecandam valeant. Quodſi qui inter Graecos pariter ac Ruthenos, ingenio ac eruditione praeſtant, quales haud paucos inter eos eſſe nouimus, animo a praeiudicatis opinionibus purgato, ſtudioque partium tantiſper remoto, dogmata noſtra paullo accuratius conſiderare, & ad ſcripturam ſacram, ceu vnicam veritatis normam exigere vellent, ſtatim intellecturi eſſent, nihil in iis venenati deprehendi, nec ad cuiusquam perniciem, ſed ad omnium potius hominum ſalutem ea eſſe comparata. Saltem non dubito, quin multi inter eos longe mitius de noſtris, quam de Romanae eccleſiae dogmatibus exiſtimaturi ſint; quum nemini ignotum ſit, longe plura maiorisque momenti eſſe capita, in quibus a Romana eccleſia Ruthenica diſſentit, quam in quibus a noſtra ſeiungitur. Nul-

lum

lum itaque a noſtrae eccleſiae telis, ſi dogmata veritati conſentanea ita vocare velis, Ruthenicae imminet periculum, quum longe iuſtiores grauioresque non tantum a telis venenatis, ſed & a tyrannide & iugo Romanae eccleſiae ſibi metuendi habeat cauſſas. Sed haec nota ſatis ſunt, atque in aprico poſita.

Conſiderabimus potius ea, quae IAVORSKIVS ſpeciatim in noſtra eccleſia deſideret. Horum primum eſt, quod ſacra, vt ipſe quidem opinatur, reiiciamus ieiunia. *Conſidera*, inquit, *quae dico, & perſpice veritatem. Haec verba Chriſti: quae intrant in os hominis non contaminant eum, ſed quae egrediuntur ex ore, huic* (Luthero) *lapis offenſionis & ſcandali fuerunt. Ad haec offendens reiecit ſacra ieiunia ex ſancta eccleſia.* Lutherum aut nos cum illo omnia prorſus reiicere ieiunia, falſum eſt, & a veritate quam longiſſime remotum. Quin potius vt ieiunia, ſi recte, &, vt decet, inſtituantur, ceu ad vitae ſanctitatem cuſtodiendam admodum vtilia & ſalutaria, vehementer commendamus; ita ſuperſtitioſa contra, hypocritica, hiſtrionica, coacta, iure meritoque reiicimus ac deteſtamur. Superſtitioſa autem ea voco, quando homines peccatis grauiſſimis ſceleribusque immerſi, nullaque de re minus, quam de vera vitae morumque emendatione ſolliciti, ieiuniis placare Deum, ſibique propitium reddere adnituntur; adeoque in iis, vt aliis eiusdem generis actibus externis, omnem diuini Numinis cultum collocant. Quam vehementer eiusmodi ieiunium Deo diſpliceat, ipſemet teſtatur, quando Iudaeos, ad talia itidem prouocantes, dicentesque; *cur nos ieiunantes non reſpicis? & nos*

ipſos ſubigentes non curas? per Eſaiam vatem hunc in modum adloquitur: *en! tum quum ieiunatis, libidini ſatisfacitis, & omnia, quae vobis debentur, exigitis; en! ad lites & iurgia ieiunatis & ad pugnis impie caedendum. Ne iſto pacto ieiunaueritis, vt in alto vox audiatur veſtra. Hoccine eſt ieiunium, quod ego adprobem? dies, quo ſe ipſum ſubigat homo? ſcilicet vt caput in iunci modum curuet, centone ſtratus & puluere. Hoccine vocandum eſt ieiunium & fauorabilis domini dies? Enim vero hoc eſt, quod ego adprobem ieiunium, impietatis aperire nexus &c. cap. LVIII. 3. 4. ſeq.* Hypocritica ieiunia illa adpellito, quando homines oſtentationis cauſſa ea inſtituunt, vt ſingularem quamdam ſanctitatis ac pietatis ſibi concilient opinionem. Talia erant ieiunia Phariſaeorum, quos hoc nomine ipſe ſeruator reprehendit. *Quum autem ieiunatis*, inquit, *ne eſte tetrici, quales hypocritae, qui vultus ſuos deformant, vt aliis adpareat eos ieiunare. Hoc vobis confirmo, eos ſuum abſtuliſſe praemium. At tu ieiunans vngito tibi caput, & vultum lauato; ne perſpicuum ſit aliis hominibus ieiunare te, ſed patri tuo, qui occultus eſt &c. Matth. VI. 15. 16.* Hiſtrionica mihi audiunt, quando homines a certo equidem ciborum genere ſe abſtinent, interim aliis, non minus prauas cupiditates irritare aptis, ventrem replent. Delectum equidem ciborum non improbo; immo ſi quis caſtitati ac ſanctitati ſtudeat, vt a cibis & potu fouendae alendaeque, aut excitandae libidini inſeruientibus ſibi caueat, prudentia non tantum ſuadet, ſed & temperantiae leges iubent. At qui a certis equidem cibis ſe abſtinent, ſed in illorum locum alios, quorum, ſi non maior, certe

certe eadem ad prauas cupiditates excitandas vis & efficacia eſt, ſubſtituunt, & illud nihiloſecius ieiunium vocant, immo partem quamdam cultus diuini in eo conſtituunt, quod in eccleſia Romana haud infrequens eſt; nihil aliud mihi agere videntur, quam vt non tantum ſibi ipſis, ſed & Deo illudant. Quare & nihil, quod a veritate alienum ſit, aut reprehenſionem mereatur, me dixiſſe arbitror, quando eiusmodi ieiunium hiſtrionicum vocaui. Tandem & coacta improbamus ieiunia. Quum enim cultu ſpontaneo & libero Deus delectetur; quidquid coacti ac inuiti homines faciunt, illi non diſplicere nequit. Quae autem ex eccleſiae praeſcripto certo tempore certisque diebus inſtituenda ſunt ieiunia, ita vt in eam miſeri mortales ſimul inducantur opinionem, ea ſine peccato mortali omitti non poſſe, quis, quaeſo, voluntaria ac ſpontanea dixerit? Quumque nihilo ſecius multi ea non obſeruent, quum tamen ſe ad ea obſeruanda obſtrictos credant, non poſſunt non grauiſſime vulnerare conſcientiam. Iſta vero omnia quam parum cum vera religionis chriſtianae indole conueniant, nemo non perſpicit.

Ea itaque ieiunia, quae cum ſincero vitae ſanctae ſtudio ſunt coniuncta, aut ad illud promouendum comparata, quae libere & ſine vlla coactione ſuſcipiuntur, Deoque adeo placere poſſunt, tantum abeſt, vt improbemus aut reiiciamus, vt eorum numquam non oſtendamus neceſſitatem. Immo illud Pauli, *eos, qui Chriſti ſunt, carnem ſuam cum libidinibus & cupiditatibus crucifigere; Gal. V. 23. carnis ita gerendam*

rendam curam, ne cupiditatibus indulgeamus, Rom. XIII. 14. *diuinam, quae cunctis hominibus adparuit, gratiam, erudire nos, vt impietati mundanisque cupiditatibus valedicto, frugaliter, & iuste, pieque viuamus in hoc saeculo*, Tit. II. 11. 12. quotidie nostris inculcamus. Subinde & solemnia apud nos indicuntur ieiunia, diesque tum integros sine potu & cibo, inter preces & verbi diuini meditationem, cum grauissimis ad vitam mentemque serio emendandam adhortationibus transigimus; sine vlla tamen eiusmodi, qua conscientiae vis inferatur, coactione. Atque ita ad exemplum primitiuae, cumprimis apostolicae, nos componimus ecclesiae. Ieiunia enim in ea non erant infrequentia, praesertim quum variae, quibuscum apostolis, aliisque confligandum erat, calamitates haec velut imperabant, vt ad preces eo paratiores essent; quemadmodum & seruator hoc illis praedixerat, *fore vt, sponso ab eis ablato, ieiunarent*, Matth. IX. v. 15. Praeterea, quum magni aliquod momenti negotium suscipiendum, Deique ad hoc auxilium impetrandum erat, cum precibus ieiunia coniungebant, act. XIII. 2. 3. Certum autem tempus, certosque dies, ieiuniis destinatos, aut eorum per leges quasdam impositam necessitatem, ciborumque obseruatum discrimen, nullo testimonio, nullo exemplo comprobari potest. Immo secus se rem habuisse, ipsemet Paulus apostolus luculenter nos condocet, quando, *quicquid*, inquit, *in macello venale est, vescimini, nihil sciscitantes propter conscientiam; nam domini & terra est, & omnia terrestria*, I. Cor. X. 25. Et iterum: *Quodsi quis infidentium vos inuitat, & vultis ire, quicquid vobis appone-*

apponetur, vescimini, nihil sciscitantes propter conscientiam; hoc est, ne sine caussa & necessitate conscientiae scrupulum iniiciatis, *vers. 27.* Scio sermonem ibi esse de idolothytis; si tamen certo tempore certisque diebus christiani ab hoc aut alio ciborum genere se abstinere debuissent, haud dubie exceptionem quamdam aut restrictionem addidisset apostolus, nec ἁπλῶς dixisset: *quicquid in macello venale est, vescimini;* item, *quicquid vobis apponetur, vescimini.* Confirmat hoc idem, quando ad Colossenses scribit: *Quare nemo vos damnet ob cibum aut potionem, aut festorum discrimen, aut nouilunia, aut sabbatha; cap. II. 16.* Quibus verbis dum discrimen illud ciborum, quod ex lege Mosaica erat, sublatum docet; simul in nouo testamento eiusmodi quid locum non inuenire significat. Nimirum quum non deessent ex haereticis, qui in ciborum discrimine singularis sanctitatis laudem quaererent, istudque obtrudere aliis adniterentur; acriter eos reprehendit apostolus, &, vt ab iis (Cerinthianos, vt admodum est verosimile, innuens) sibi cauerent, Colossenses admonet. *Quodsi,* inquit, *vna cum Christo, quod ad mundi elementa attinet, mortui estis, cur, tamquam in mundo viuentes, vtimini placitis? ne tetigeris, neue gustaueris, neue attrectaueris.* Luculenter inde constat, exstitisse eo tempore homines, qui magnam sapientiae ac sanctitatis sibi tribuebant speciem, simulque ab illis, qui ad eumdem perfectionis gradum contendere volebant, postulabant, vt & a matrimonio, & certis ciborum generibus se abstinerent, immo vt quaedam nec attingerent, ne hac ratione pollueren-

tur.

tur. Quam parum autem illud hominum iſtorum inſtitutum adprobet, indicat apoſtolus, quando addit: ἅ ἐςι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει. Quorum verborum ſenſus eſt, quod iſtarum rerum abuſus animae hominis perniciem & interitum conciliet; idque eo magis, quod talia nulla lege diuina nitantur; ſed, vt porro ſubiicit, ſint ἐνταλματα καὶ διδασκαλίαι τῶν ἀνθρώπων, *praecepta & doctrinae hominum*, quae adeo non tantum vt inutiles, ſed omnino noxiae fugiendae ſint omni ſtudio ac euitandae. Nec praetermittendum, quod in iisdem hominibus praeter ἐθελοθρησκείαν *cultum electitium* & ταπεινοφροσύνην *humilitatem*, quam prae ſe ferebant, notet ἀφειδίαν σώματος, hoc eſt, quod corpori non parcerent, ſed (per ieiunia frequentiſſima aliaque ratione) durius illud haberent, ὀυκ ἐν τιμῇ τινι, adeo vt nullum illi ſtatuere pretium viderentur, nec, quae debebant, illi praeſtarent, eaque in re magnam ſapientiae ſpeciem quaererent, (ἅτινά ἐςι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας) ſimulque monet, quod cuncta iſta tandem tendant, πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός *ad expletionem* ſiue *ſatietatem carnis*, hoc eſt, vt ſub iſta ſapientiae & ſanctitatis ſingularis ſpecie ambitioni ſuae vanaeque gloriae ſtudio, ceu cupiditati itidem carnali, indulgerent, aliosque adeo deciperent. Atque haec vt paullo diligentius conſiderarent, vellem, qui cum IAVORSKIO coacta ſua, ſuperſtitioſa & hypocritica ieiunia tantopere iactitant, ac diſpicerent, an forte ſuam in hiſce, quos Paulus perſtringit, haereticis, deprehenſuri eſſent imaginem?

Poſt apoſtolorum tempora, & ſaeculo quidem ſecun-

secundo, varia in ecclesia christiana institui coeperunt ieiunia. Ne quid enim de illorum ieiunio dicam, qui, postquam in graue aliquod peccatum prolapsi, eius se poenitere satis significauerant, recipiendi iterum erant in communionem ecclesiae; nec de illorum, qui mox baptizandi erant; ieiunium aliquod ante-paschale iam tum in vsu fuisse, neutiquam negamus. Nec tamen in hisce omnibus quidquam, quod cum libertate christiana pugnaret, conspiciebatur. Testem huius rei omni exceptione maiorem habemus IRENAEVM, qui Victorem, episcopum Romanum, quod ob diuersum paschatos tempus, diuersaque ieiunia, ab ecclesiae communione omnes Asiae coetus remotos vellet, reprehendens, non vnam eamdemque eo tempore ieiuniorum fuisse rationem, diserte docet. ὀυδὲ γὰρ, inquit, μόνον περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἡ ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους αὐτοῦ τῆς νηστείας· οἱ μὲν γὰρ ὄιονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν· οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας. οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν· καὶ τοιάυτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν· τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς ὡς εἰκὸς κρατούντων, τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. *Neque enim de die solum controuersia est, sed etiam de forma ipsa ieiunii. Quidam enim existimant vnico die sibi esse ieiunandum; alii duobus, alii pluribus; nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur. Atque haec in obseruando ieiunio varietas non nostra primum aetate nata est, sed longe ante apud maiores nostros coepit, qui negligentius, vt verosimile est,* *prae-*

praesidentes, ex simplicitate & imperitia ortam consuetudinem posteris tradiderunt. * Dum non tantum sua aetate magnam in ieiuniis obseruandis fuisse varietatem, dicit, sed iam antea quoque apud maiores suos eodem modo se rem habuisse, profitetur; nullam in veteri ecclesia primi & secundi saeculi exstitisse legem, qua ad illa homines adstringebantur, longe inde est manifestissimum. Confirmat idem TERTVLLIANVS. Quando enim Montani haeretici eiusque sectatorum caussam contra orthodoxos seu catholicos agit, hos introducit talia illis obiicientes, quae sequenti aetate, quum superstitionis & tenebrarum regnum inualesceret, recepta sunt in ecclesia atque legibus sancita. *Arguunt nos*, inquit, *quod ieiunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperum producamus, quod etiam xerophagias obseruemus, siccantes cibum ab omni carne, & omni iurulentia & vuidioribus quibusque pomis; ne quid vinositatis vel edamus vel potemus; lauacri quoque abstinentiam, congruentem arido victui. Nouitatem igitur obiectant, de cuius inlicito praescribunt &c. Certe*, ita, quibusdam interiectis, pergit, *in euangelio illos dies ieiuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus*, (antepaschale ieiunium significat, quod iam tum receptum fuisse, ante diximus, quamquam, quod in euangelio, seu a Christo ipso hoc constitutum vel praeceptum sit, perperam adseratur) *& hos esse iam solos legitimos ieiuniorum christianorum, abolitis legalibus & propheticis vetustatibus &c. Itaque de cetero differentes*

* apud EVSEBIVM *hist. eccles. lib. V. cap. XXIV. p. 192.*

tes ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouae disciplinae, pro temporibus & caussis vniuscuiusque. Sic & apostolos obseruasse, nullum aliud imponentes iugum certorum & in commune omnibus obeundorum ieiuniorum. Nihil luculentius dici poterat. Intelligimus autem inde, catholicos seu orthodoxos eodem modo iisdemque rationibus Montanistarum reiecisse ieiunia, quibus & nos contra illa, quae Romana ecclesia non sine tyrannide quadam obtrudere omnibus adnititur, pugnamus. Namque & illud est, quod & nos aeque ac veteres isti, qui Montanistis sese opposuerunt, adserimus, *ex arbitrio*, seu libere, sine coactione, *non ex imperio nouae disciplinae, pro temporibus & caussis vniuscuiusque ieiunandum esse;* hoc est, quod contendimus, *nullum iugum certorum & in commune omnibus obeundorum ieiuniorum hominibus imponendum esse;* * & quae reliqua sunt eiusdem generis. Paullo accuratius etiam qui ista considerauerit, cognoscet, non errare illos, qui seuerae istius disciplinae, quae aliis necessitatem ieiunandi imponit, originem a Montano haeresiarcha repetunt. Id enim non tantum ex TERTVLLIANO constat, qui iam Montani sectator factus, acriter eam contra catholicos seu orthodoxos defendit, sed confirmat id etiam APOLLONIUS apud EVSEBIVM. Ἀλλὰ τίς ἐστιν, inquit, οὗτος ὁ πρόσφατος διδάσκαλος; τὰ ἔργα αὐτοῦ καὶ ἡ διδασκαλία δείκνυσιν· οὗτός ἐστιν ὁ διδάξας λύσεις γάμων· ὁ νηστείας νομοθετήσας. *Sed quisnam est nouus ille doctor? opera eius & doctrina satis aperte produnt. Hic est, qui nuptiarum discidia*

* *lib. de ieiuniis cap. I. & II. p. 701.*

dia docuit, qui ieiuniorum leges imposuit. * Immo & abstinentiae istius a certis ciborum generibus, in qua nonnulli ieiunii quamdam speciem constituunt, origo non sine ratione a Montano deriuatur. Licet enim & apud Encratitas, Marcionitas, aliosque haereticos simile quid deprehendamus; quum tamen Romanae ecclesiae addicti, & qui cum illis faciunt, regerere queant, se a dogmatibus, ex quibus istorum haereticorum error ille fluxit, alienos esse, rectius cum Montanistis eos comparamus, quibuscum vt plane in hocce capite consentiunt, ita quod reponere queant, nihil illis relinquitur. Nimirum non tantum ciborum discrimen Montanistae obseruabant, vt verba TERTVLLIANI, quae antea iam recitauimus, *xerophagias obseruamus, siccantes cibum ab omni carne &c.* nos condocent; sed id itidem certis duntaxat faciebant diebus, vt deinceps in ecclesia receptum est, adeoque ob longe aliam caussam, alioque modo, quam Encratitae, Marcionitae aliique. Testatur hoc iterum TERTVLLIANVS, dum negat, apud suos *perpetuam abstinentiam praecipi ad destruenda & despicienda opera creatoris; quales*, inquit, *inueniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Iouem hodiernum de Pythagora haereticum; non apud paracletum &c.* ** Interim Montanistarum non minus, quam Encratitarum aut Marcionitarum istum ciborum delectum, quamuis certo tantum tempore instituendum, reiiciebant & damnabant veteres, adeoque hoc ipso demonstrabant, discrimen illud ciborum, aeque ac ieiuniorum, quod

* *histor. ecclesiast. lib. V. cap. XVIII. p. 184.*

** *lib. de ieiuniis cap. XV. p. 712.*

quod omnibus obtrudere volebant obſeruandum, ecclesiae hucusque prorſus ignotum fuiſſe. Deinceps equidem non vnam ob cauſſam ieiunia ſunt inſtituta; maxima tamen in hiſce ſaeculo adhuc quarto omnium permanſit libertas. Dubium equidem aliquod moueri poteſt ex concilii Laodiceni, anno CCCLXVII, vt viris quibusdam doctis obſeruatum, celebrati *canone quinquageſimo*, qui ita ſe habet: ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῆς τῇ ὑστέρᾳ ἑβδομάδι τὴν πέμπτην λύειν, καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀτιμάζειν. ἀλλὰ δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσερακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας. *Quod non oporteat in quadrageſimae poſtrema ſeptimana quintae feriae ieiunium ſoluere, & totam quadrageſimam dehoneſtare; ſed oportet totam quadrageſimam ieiunare aridis veſcentes.* * Et ſane condiſcimus inde, eo tempore, hoc eſt, ſaeculo quarto iam adulto plurium hebdomadum quadrageſimam in vſu fuiſſe; immo condiſcimus, in vſu fuiſſe, vt diebus, ieiunio ſacris, aridis veſcerentur. Quodſi etiam concederemus, per *iſtum* canonem quadrageſimae & xero*phagiae* obſeruationem omnibus ita *impoſitam*, vt ad eam, ceu ex lege quadam ſeu praecepto eſſent obligati; nobis tamen ſufficeret, quod ecclesia chriſtiana per tria ab eius initio ſaecula & dimidium quarti eiusmodi legem ignorauerit. Nec tamen iam euictum, per canonem hunc eiusmodi legem omnibus impoſitam. Non enim concilii iſtius hoc ſibi voluiſſe patres, ſed potius conſtitutum illis fuiſſe, quorumdam, qui a more recepto diſcedebant, corrigere errorem, & quomodo quadrageſima ab iis, qui eam obſeruandam ſuſcipiunt, obſeruari debeat,

* in GVIL. BEVEREGII *pandectis canon. eccl. graec. tom. I. p. 476.*

beat, docere, ex iis, quae THEODORVS BALSAMON ad huncce canonem adnotauit, colligere licet. Idque illorum, qui saeculo adhuc quarto & quinto libertatem in hisce per legem quamdam nondum sublatam, adserunt, testimoniis confirmari potest. Atque hos inter ipse est EPIPHANIVS, qui contra apostolicos, vt haeretici quidam vocabantur, disputans, καὶ ἀπέχονται, inquit, βρωμάτων πολλοὶ, ἀλλ᾽ οὐ φυσιοῦνται κατὰ τῶν μὴ ἀπεχομένων· ὁ γὰρ ἐσθίων, τὸν μὴ ἐσθίοντα μὴ ἐξουθενείτω. καὶ ὁ μὴ ἐσθίων, τὸν ἐσθίοντα μὴ κρινέτω· Χριστῷ γὰρ ἐσθίει καὶ πίνει. *Ad haec a ciborum vsu temperant multi, sed non contra eos, qui illis vtuntur, superbe se gerunt. Qui enim manducat* (verba sunt apostoli *Rom. XIV. 3.*) *non manducantem non contemnat, & qui non manducat, manducantem non iudicet. Christo enim manducat, & bibit.** Dum enim dicit multos, non autem omnes, a ciborum vsu sibi temperasse, hosque eos, qui id non faciebant, neutiquam ideo contemsisse aut damnasse, idque ipsemet adprobat & effato apostoli confirmat, libertatem in hisce omnibus integram fuisse, meritoque relinqui, aperte significat. Pari ratione & THEODORETVS, quem saeculo quinto floruisse, constat, quum de haereticis dixisset, quod a vino esuque carnium, tamquam abominandis, abstinere praecipiant, ἡ δὲ ἐκκλησία, inquit, οὐδὲν περὶ τούτων νενομοθέτηκεν· οὐ δὲ γὰρ ἀπαγορεύει τὴν τούτων μετάληψιν· τούτου χάριν ἀδεῶς, οἱ μὲν τῶν νενομισμένων ἡδέων ἀπολαύουσιν, οἱ δὲ ἀπέχονται· κατακρίνει δὲ οὐδεὶς τῶν εὐφρανθέντων τὸν ἐσθίοντα, καὶ ἡ ἀποχὴ γὰρ, καὶ ἡ μετάληψις, ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τελοῦσι τῆς γνώμης. *Ecclesia vero de his nihil praecipit. Neque enim horum vsum interdicit. Ideo alii quidem permissis volupta-*

* *haeresi LXI. p. 507.*

voluptatibus ſecuri fruuntur, alii vero abſtinent. Et nemo, qui recte ſapiat, condemnat eum, qui comedit. Nam & abſtinentia & participatio ſunt in mentis poteſtate. * Cumprimis autem hic audiendus eſt SOCRATES. De variis enim eccleſiarum ritibus ex inſtituto verba faciens, ieiunia illa, quae ante paſcha fiunt, aliter apud alios obſeruari, adſerit. Nam, qui Romae ſunt, tres continuas hebdomadas ante paſcha, exceptis ſabbatho & dominico die, ieiunare; qui vero in Illyrico, & per vniuerſam Achaiam, & qui Alexandriae degunt, ſex ante paſcha ſeptimanas, idque ieiunium eos quadrageſimam vocare; alios rurſus diuerſum ab illis morem ſequutos, ſeptima hebdomade ante paſcha ieiunium ordiri, ac tres duntaxat ſeptimanas, quinque dierum ſingulos per interualla ieiunare, & nihilominus hoc tempus quadrageſimam adpellare. Neque vero in dierum numero ſolum, verum etiam in ciborum abſtinentia diſcrepantiam quamdam reperiri, porro docet. Alios enim ab animatis penitus abſtinere; alios ex animantibus piſces ſolos comedere; nonnullos cum piſcibus, etiam auibus veſci, ex aquis, vt eſt apud Moſem, eas quoque conditas adfirmantes; quosdam ab omni arborum fructu & ab ouis abſtinere; quosdam ſolo veſci pane; alios ne hoc quidem vti. Atque hisce quum & alia quaedam addidiſſet, tandem concludit: *καὶ ἐπειδὴ οὐδεὶς περὶ τούτων ἔγγραφον ἔχει δεῖξαι παράγγελμα, δῆλον ὡς καὶ περὶ τούτου τῇ ἑκάστου γνώμῃ, καὶ προαιρέσει ἐπέτρεψαν οἱ ἀπόστολοι, ἵνα ἕκαστος μὴ φόβῳ, μὴ δὲ ἐξ ἀνάγκης τὸ ἀγαθὸν κατεργάζοιτο.*

Et

* *haeret. fabular. lib. V. cap. XXIX. tom. IV. oper. p. 316.*

Et quoniam nemo ſcriptum de hac re praeceptum proferre poteſt, apparet apoſtolos arbitrio cuiusque ac voluntati id permiſiſſe, vt vnusquisque, quod bonum eſt, ſua ſponte, non metu ac neceſſitate perageret. * Idque prorſus illud eſt, quod & noſtra hac in re profitetur eccleſia; quum apoſtoli nullas ieiuniorum leges nobis reliquerint, cuiusque arbitrio ad tempus & modum quod attinet, ea eſſe relinquenda, vt vnusquisque, *quod bonum eſt, ſua ſponte non metu ac neceſſitate peragat.* Similia prorſus habet SOZOMENVS, cuius de variis apud varias prouincias & eccleſias ritibus narrationem ** legiſſe, poenitebit neminem, quum inde luculenter pateat, veterem eccleſiam ſua in hiſce vſam libertate; cuius quum & nos ſequamur exemplum, non poteſt IAVORSKIVS nos reprehendere, vt non ſimul omnes, quotquot in quatuor prioribus a Chriſto nato ſaeculis, quo tempore optimam adhuc feliciſſimamque eccleſiae fuiſſe faciem, nemo ignorat, vixerunt, chriſtianos, immo ipſos apoſtolos, vtpote quibus numquam in mentem venit, eiusmodi ieiuniorum leges aliis praeſcribere, redarguat atque condemnet. Quae autem ſequenti aetate, vbi iam corrumpi mirum in modum variisque erroribus coinquinari eccleſia coepit, introducta ſunt, in regulam atque normam, quam ſequamur, ſtatui atque proponi nequeunt.

A ieiuniis IAVORSKIVS progreditur ad imagines. *Verba Dei*, inquit, *ne facias tibi imaginem, nec vllam ſimilitudinem ipſi* (Luthero) *lapis offenſionis fuerunt.*

* *hiſtor. eccleſ. lib. V. cap. XXII. p. 286.*

** *hiſtor. eccleſ. lib. VII. cap. XIX. p. 734.*

runt. Inde reiecit ſacras imagines ex ſancta eccleſia. Sed falſiſſimum eſt, quod hic IAVORSKIVS adſerit, Lutherum, aut qui eius doctrinam ſequuntur, imagines ſacras prorſus ex eccleſia reieciſſe. Immo retineri eas ac tolerari in templis poſſe, vt illorum, quos exhibent, vitam, fata, virtutes, nobis in memoriam reuocent, profitemur; adorandas autem, aut cultu religioſo proſequendas eſſe, id vero eſt, quod prorſus negamus. Solum enim Deum adorandum, eumque ſolum colendum eſſe, & ipſa ratio omnes condocet, & ſcriptura quoque teſtatur, *Deut. VI, 13. X, 20. Matth. IV, 10.* Vnde & conſequitur, ab idololatriae grauiſſimo crimine eos abſolui non poſſe, qui cultum illum ac honorem, ſoli Deo debitum, quocumque modo rebus aliis deferunt. Tantumque abeſt, vt verba, quibus imaginum eiusmodi cultus diſerte prohibetur, beato Luthero lapis offenſionis, vt IAVORSKIO videtur, fuerint, vt illi potius in ſuperſtitionem & idololatriam praecipiti lapſu ruere cenſeantur merito, qui, relicta ſcriptura ſacra, eiusque teſtimoniis euidentiſſimis inſuper habitis, traditiones hominum, maiorumque ſequuntur conſuetudinem. Negandumque non eſt, Graecam non minus, quam Romanam hic a recto tramite deflexiſſe eccleſiam, quamuis illius tolerabilior in quibusdam, quam huius ſit ſententia; nec tamen ideo ab omni ſuperſtitione aut idololatria prorſus aliena. Graecos nimirum imagines non ſculptas, vtpote quas, tamquam idola, fugiunt, ſed pictas tantummodo habere ex METROPHANE CRITOPVLO,* EVSTRATIO IO-

G ANNI-

* in *confeſſione eccleſiae orientalis cap. XV. p. 128.*

ANNIDE ZIALOVVSKIO, * aliisque constat. Praeterea, licet Christi, & sanctorum, angelorumque, prout in humana forma adparuerunt, imagines in pretio habeant; ipsius tamen Dei apud illos imaginem non reperias, vtpote quem, ceu spiritum infinitum, effigie quadam aut coloribus pingi posse negant, immo id sine crimine fieri non posse, adserunt. Cultum denique, quem δουλείαν vocant, illis tantum deferendum docent; neutiquam autem eum, qui λατρεία adpellitatur, quiue soli tantum debeatur Deo. Mentem illorum hac de re atque sententiam ex *orthodoxa confessione catholicae atque apostolicae ecclesiae orientalis* intelligere licet, vtpote in qua ad quaestionem: *Quid statuendum de imaginibus, quas adorat ac colit orthodoxa ecclesia?* respondetur: μεγάλη διαφορὰ εἶναι ἀνάμεσον τῶν εἰδώλων καὶ τῶν εἰκόνων· διατὶ τὰ εἴδωλα εἶναι πλάσματα καὶ εὑρήματα τῶν ἀνθρώπων· καθὼς μαρτυρεῖ λέγων ὁ ἀπόστολος· οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ· μὰ ἡ εἰκὼν εἶναι παράστασις ὁποῦ παριστάνει πρᾶγμα ἀληθινόν· ὁποῦ ἔχει τὴν ὕπαρξίν του εἰς τὸν κόσμον· ὡς ἡ εἰκὼν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ, καὶ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας, καὶ ὅλωνῶν τῶν ἁγίων· καὶ ἔξω ἀπὸ τοῦτο οἱ ἕλληνες ἐπροσκυνοῦσαν ὡς θεὸν τὰ εἴδωλα, καὶ ἐδίδασιν εἰς αὐτὰ θυσίας, λογιάζοντες νὰ εἶναι θεοὶ τὸ χρυσίον καὶ τὸ ἀργύριον, ὡς ὁ Ναβουχοδονόσορ· μὰ ἡμεῖς ὅταν τιμῶμεν τὰς εἰκόνας, καὶ τὰς προσκυνοῦμεν, δὲν προσκυνοῦμεν τὰ χρώματα, ἢ τὰ ξύλα· μὰ τοὺς ἁγίους ἐκείνους, τῶν ὁποίων εἶναι αἱ εἰκόνες, δοξάζομεν μὲ προσκύνησιν δουλείας, βάλλωντας μὲ τὸν νοῦν μας τὴν ἐκείνων παρουσίαν εἰς τὰ ὀμμάτιά μας· *Ingens inter imagines & simulacra discrimen est. Nam idola seu simulacra sunt figmenta, & mera inuenta hominum; quemadmodum testificatur apostolus: nouimus nullum idolum in mundo esse,* (1.Cor.

* in *breui delineatione eccles. oriental. graecae p. 140.*

(1. Cor. VIII, 4.) *Verum imago est repraesentamen exhibens rem veram, reapse in mundo existentem, veluti imago seruatoris nostri Christi, & sanctae virginis Mariae & omnium sanctorum. Praeterea pagani idola, Dei instar adorabant, illisque hostias immolabant; existimantes aurum argentumque verum Numen esse; vt Nebucadnezar olim. Quando autem nos imagines veneramur & adoramus; non adoramus illitos tabulis colores, aut ligna ipsa; sed sanctos suis imaginibus repraesentatos, eo adorationis genere, quod duliam adpellitant, colimus; sic eorum videlicet praesentiam animo vsurpantes, quasi ipsosmet oculis nostris contueremur.* * At ista, ad speciem quamdam imaginum cultui conciliandam excogitata, fucum quidem imperitioribus ac incautis facere possunt, ad tollendam aut remouendam superstitionem ac idololatriam non sufficiunt. Discrimen inter sculptas & pictas imagines parum ad rem facit. Has enim non minus, quam illas Deus diserte prohibuit: *Non facies tibi sculptile simulacrum, neque imaginem vllam eorum, quae sunt supra in coelis, aut infra in terris, aut in aquis, quae terrae subiectae sunt, neque ea adorabis* (aut flexo corpore veneraberis) *aut coles &c. exod. XX, 4.* Dum non tantum dicit, *non facies tibi sculptile simulacrum;* sed & addit, neque *imaginem vllam*, significat, nullas cuiuscumque generis imagines, siue sculptae siue pictae fuerint, faciendas esse, vt eas adoremus, aut religioso prosequamur cultu. Praeterea omnes imagines, quibus cultus aliquis religiosus defertur, recte idola vocantur, siue aliquid, quod reuera existat, exhibeant, siue id quod repraesentant, prorsus non existat;

 quam-

* p. 327. seqq.

quamquam quo pacto simulacrum aliquod confici queat, quod alterius cuiusdam rei nulla prorsus ratione, neque ex parte quadam imaginem contineat, vix capi possit; quod & de idolis gentilium dici nequit. Omne enim istud, qualecumque demum sit, cui cultum, soli Deo debitum, tribuimus, iure meritoque idolum vocatur. Quare & si vel maxime imago quaedam non ipsam Dei essentiam, sed Christum seruatorem nostrum, aut beatam virginem Mariam, aut sanctos quosdam homines repraesentet; cultus nihilosecius, qui illi defertur, superstitione & idololatria non vacat. Christo equidem seruatori ipsi cultus religiosus debetur; non tamen imagini eius. Ad Mariam autem sanctosque homines quod attinet, licet illorum iure meritoque admiremur virtutes, nec vmquam nisi cum honoris quadam significatione mentionem faciamus; adorandos tamen colendosque esse, eo magis abnuimus, quo minus eiusmodi quid aut ipsimet desiderarunt, aut probaturi essent, si suam nobis declarare possent sententiam. Quumque, quod rerum nostrarum conscii sint, aut preces nostras votaque audiant atque cognoscant, probari nequeat, nonne vanus est omnis ille cultus irritusque? Iam si nec Mariam ipsam, aut homines sanctitatis laude conspicuos cultu religioso prosequi licet, quanto minus fas erit, imagines illorum ea ratione colere & adorare? Esto vero; quod colores & ligna non adorent, sed sanctos, qui per istas imagines repraesentantur; quum nec hos, vti dictum, adorare cultuque religioso, vtpote qui soli Deo debetur, prosequi liceat, remanet semper idololatria

quae-

quaedam, indigna prorſus hominibus, qui nomen profitentur chriſtianum. Parumque feliciter per diſtinctionem inter δουλείαν & λατρείαν, in Romanae quoque eccleſiae ſcholis ſatis frequentatam, hinc ſe expedire adnituntur. Praeterquam enim, quod voces iſtae δουλεία & λατρεία promiſcue in ſcriptura ſacra vſurpentur, quum hic non de cultu ciuili ſermo ſit; de quo ſi vox δουλεία accipiatur, haud difficulter diſcrimen aliquod inter eam & λατρείαν admitti poſſet, ſed de religioſo; hunc qui ſoli Deo deberi negauerit, eum ignarum prorſus, quid cultus diuinus ſit, verborumque Chriſti ſeruatoris, *Deum dominum tuum adorabis*, *& illum ſolum* (ſolum, inquam, non ſanctos, non imagines) *coles*, *Matth. IV, 10.* immemorem eſſe oportet. Certusque plane ſum, rudiores ſimplicioresque homines, qui vbique maximam eccleſiae partem conſtituunt, diſtinctionem iſtam inter λατρείαν & δουλείαν prorſus ignorare, certe non capere; immo ipſis illis imaginibus diuinitatem quamdam tribuere, nec aliter, quam Deum ipſum, eas colere et adorare, adeoque grauiſſimo idololatriae ſe obſtringere crimine. Cuius nec illi apud Graecos pariter ac Latinos immunes ſunt, qui meliora equidem ſunt edocti; cultum tamen iſtum imaginum variis ac ineptis diſtinctionibus defendere conantur, quum id potius agere deberent, vt homines plebeii a turpi iſta & plus quam ethnica ſuperſtitione liberarentur. Adeo nullam itaque IAVORSKIVS cauſſam habuit, nobis exprobrandi, quod imagines ſacras reieceri-mus; aut vt rectius loquar, quod diuinum illis non deferamus cultum, vt, ſi quid ſanae mentis in eo reli-

quum fuiſſet, optare debuiſſet, vt tum Graeca tum Romana eccleſia a ſuperſtitioſa iſta & idololatrica imaginum adoratione repurgaretur.

Eo iniquior autem iniuſtiorque eius hac in re eſt accuſatio, quo certius & euidentius eſt, quod in reiiciendo iſto imaginum cultu veteris iterum eccleſiae exemplum ſequamur. Per tria enim priora a Chriſto nato ſaecula vsque ad finem quarti, nullae prorſus in templis aut locis ſacris chriſtianorum conſpectae aut toleratae ſunt imagines, tantum abeſt, vt eas adorarint, aut cultu quodam adfecerint. Idque tam diu ratum firmumque et extra omnem dubitationem poſitum manebit, donec, qui diſſentiunt, vel vnico exemplo aut teſtimonio fide digno, ſecus ſe rem habere, demonſtrauerint. Quantumuis autem omnes ingenii & induſtriae neruos intendant, vt hoc facere queant; quam vanus tamen irritusque iſte labor ſit, vel vnico ſpecimine oſtendere operae fuerit pretium. Nihil ſolemnius illis eſt, quam vt ad ſtatuam illam prouocent, quam mulier, ſanguinis profluuio laborans, & a ſeruatore ſanitati reſtituta, Caeſareae Philippi, quam vrbem Phoenices Paneada nominarunt, in honorem Chriſti et beneficii ſummi, ab eo accepti, memoriam poſuiſſe dicitur. Quod tamen, quam parum illorum cauſſam iuuet, ſtatim patebit, ſi veterum paullo accuratius hac de re conſideremus teſtimonia. Et EVSEBIVS quidem non tam ex ſua, quam aliorum ſententia, aut fama potius, admodum vtique incerta, adſerit, mulierem hancce ex ciuitate iſta originem traxiſſe, domumque eius ibidem conſpici, et collati in eam a ſeruatore

tore noſtro beneficii, illuſtria exſtare monumenta. Diſerte enim dicit, ἔλεγον, *ferunt*, ἐνθένδε ὁρμᾶσθαι, & ſic porro. Pari ratione ex fama iſta, ſeu aliorum ſententia referre pergit, iuxta ianuam domus illius aeneam mulieris effigiem ſtare, columnae lapideae impoſitam, genibus flexis protenſisque manibus inſtar ſupplicantis; ex aduerſo autem effigiem viri ex eodem metallo conflatam, ſtantis ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis; ad cuius pedes in ipſa baſi ignota quaedam naſci dicatur herba, quae ad fimbriam vsque aeneae diploidis adſurgens, depellendis omnis generis morbis praeſentisſimum remedium ſit. Τοῦτον δὲ τὸν ἀνδριάντα, inquit porro EVSEBIVS,* εἰκόνα τοῦ Ἰησοῦ φέρειν ἔλεγον, *hanc ſtatuam Ieſu Chriſti ſpeciem referre aiebant*; additque, manſiſſe eam ad ſua vsque tempora, ſeque vrbem illam ingreſſum ipſam conſpexiſſe; nec vero mirandum eſſe, gentiles a ſeruatore noſtro beneficiis adfectos haec praeſtitiſſe, quum & apoſtolorum Petri ac Pauli, *Chriſti*que ipſius pictas imagines, ad ſuam vsque memoriam ſeruatas, in tabulis viderit; priſcos namque illos, absque vllo diſcrimine cunctos de ſe bene meritos gentili quadam conſuetudine, tamquam ſeruatores colere huiusmodi honoribus conſueuiſſe. Qua in narratione EVSEBII cumprimis obſeruandum, quod ſubinde illud ἔλεγον, *aiebant*, *ferebant*, repetat. Inde enim vt conſtat, ex fama aliorumque ſermonibus eum accepiſſe, quae commemorat, ita hoc rem omnem valde ſuſpectam reddit. Adſerit equidem, ſemetipſum vrbem illam ingreſſum ſtatuam iſtam conſpexiſ-

ſpexiſ-

* *lib. VII. hiſtor. eccl. cap. XVIII. p. m. 265.*

ſpexiſſe; ſed quum parum hoc cum prioribus conſentiat, non deſunt viri docti, qui iſta verba non ipſius EVSEBII, ſed ab aliena manu inſerta eſſe, contendunt. * Si tamen vel maxime ipſius ſint EVSEBII; nihil aliud inde ſequitur, quam ſtatuam quamdam ab eo viſam; reliqua autem, ſeu quod a muliere illa in memoriam beneficii, a Chriſto ſeruatore in ſe collati, fuerit poſita, nihilo ſecius ad ſermones eorum, a quibus iſta accepit, redeunt. Tantum porro abeſt, vt imaginum defenſores cauſſae ſuae aliquod praeſidium in hocce exemplo inueniant, vt illis potius quam maxime noceat, quum a muliere ethnica hoc ſit profectum, quae iſtud fecerit ἐθνικῇ συνηθείᾳ, *gentili quadam conſuetudine*, vt EVSEBIVS loquitur; *cunctos bene de ſe meritos absque vllo diſcrimine tamquam ſeruatores huiusmodi honoribus colendi*. A gentilibus itaque dum hancce conſuetudinem deriuat, eam eccleſiae chriſtianae minime probatam haud obſcure ſignificat. Praeterea non cultus, aut adorationis cauſſa, ſed tantum in memoriam beneficii, a Chriſto in hanc mulierem collati; nec in templo aut loco quodam ſacro, ſed πρὸς πύλας τοῦ αὐτῆς οἴκου, *iuxta ianuam domus illius*, vt EVSEBIVS quidem auctor eſt, ſtatua haecce poſita dicitur. Quae omnia nihil prorſus cum imaginibus illis commune habent, quae cultus religioſi cauſſa in templis, aut locis huic vſui deſtinatis collocari ſolent. PHILOSTORGIVS ſtatuam hancce collocatam

* vid. DE BEAVSOBRE *diſſertat. de ſtatua Paneadenſi dans la bibliotheque germanique tom. XIII. artic. I. pag. 1. ſeqq.*

tam fuiſſe, ait, κατὰ τὴν πηγὴν τὴν ἔνδον τῆς πόλεως, μετὰ καὶ ἑτέρων ἀγαλμάτων, *iuxta fontem, qui eſt in vrbe, vna cum aliis ſtatuis;* * quumque deinceps tempore Iuliani apoſtatae a paganis confracta eſſet, partes eius a chriſtianis, exiſtimantibus, Chriſti ſeruatoris hanc ſtatuam fuiſſe, repoſitae ſunt ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, *in eccleſia*, vt SOZOMENVS loquitur; ** aut potius, vt PHILOSTORGIVS auctor eſt, ἐν τῷ τῆς ἐκκλησίας διακονικῷ, *in diaconico eccleſiae*, hoc eſt, loco prope templum, vaſis ſacris adſeruandis ſimilibusque vſibus deſtinato. Atque hinc vt luculenter patet, ſtatuam in loco, in quo cultus ſacer peragebatur, poſitam non fuiſſe; ita obſeruatu prorſus digna, quae PHILOSTORGIVS, iſtud, quod diximus, commemorans addit: τὸν δὲ ἀνδριάντα μεταστησάμενοι ἐν τῷ τῆς ἐκκλησίας διακονικῷ, τὰ πρέποντα ἐθεράπευον, σέβοντες μὲν ἢ προσκυνοῦντες οὐδαμῶς· οὐ γὰρ ἦν θέμις χαλκὴν ἢ ἄλλην ὕλην προσκυνεῖν· αὐτὸ γὰρ τοῦτο, στάσει τε σεμνοτέρᾳ, καὶ τὸ μεθ' ἡδονῆς ἐπιφοιτᾶν τῷ τόπῳ τὸ εἶδος θεραπευσομένους, τὸν περὶ τὸ ἀρχέτυπον πόθον ἐπιδεικνύμενοι· *ſtatuam vero in diaconico eccleſiae collocarunt, competentem ei curam atque obſeruantiam deferentes; nequaquam tamen eam colentes aut adorantes. Neque enim fas erat, aeneam aut aliam quamlibet materiam adorare. Sed hoc vno, quod eam honoratiore in loco collocauerant, & quod ſpectandi cauſſa ad eum locum cupide aduentarent, amorem ipſius archetypi declarantes.* Diſerte PHILOSTORGIVS dicit, chriſtianos οὐδαμῶς, *nequaquam*, ſtatuam hancce coluiſſe, aut adoraſſe, addita ratione: οὐ γὰρ ἦν θέμις, *non enim fas erat*,

* *hiſtor. eccleſ. lib. VII. cap. III. p. m. 502.*
** *lib. V. hiſtor. eccleſiaſt. cap. XXI. p. 629.*

erat, aeneam aut aliam quamlibet materiam adorare. Quumque auctorem istum saeculo quinto vixisse constet; quaenam eo tempore ecclesiae christianae de cultu & adoratione imaginum fuerit sententia, inde intelligitur. Idque tam luculentum est testimonium, vt viri ex Romanae ecclesiae addictis doctissimi negare nequeant, suae hoc obstare sententiae; etsi labefactare id se posse existimant, si dicant, PHILOSTORGIVM ex secta fuisse Eunomianorum. Quod tamen friuolum prorsus atque ieiunum est; quum inter Eunomianos & catholicos seu orthodoxos de cultu ac adoratione imaginum nulla fuerit controuersia, nullaque adeo adsit ratio, cur fides PHILOSTORGII dubia nobis hac in re aut suspecta videri queat. Nec scrupulum alicui mouere debet, quod idem PHILOSTORGIVS de statua ista, in diaconico collocata, dicit, τὰ πρέποντα ἐθεράπευον, *competentem ei curam & obseruantiam deferentes.* Praeterquam enim, quod statim subiicit, hoc nequaquam de cultu quodam religioso aut adoratione intelligendum esse; recte ipsemet HENRICVS VALESIVS * docet, hanc obseruantiam in eo constitisse, vt *statua quam maxime niteret, nec puluere aut sordibus, aut rubigine impleretur.* Atque ex hisce quidem omnibus abunde patet, statuam istam Paneadensem nihil prorsus praesidii illis adferre, qui pro imaginum cultu & adoratione pugnant; si vel maxime concedatur, mulierem, quam sanguinis profluuio laborantem Christus sanitati restituit, eiusmodi statuam in tanti beneficii, in se collati, memoriam posuisse. Accedit tamen, quod tota ista

* *in adnotationib. ad* PHILOSTORGII *l. c. p. m. 143.*

iſta non ſine ratione multis ſuſpecta videatur narratio, quemadmodum et iam olim Carolo magno imperatori viſa fuit; * immo non deſunt, qui eam inter fabulas & commenta referre non dubitant. Certe fieri potuiſſe, vt de ſtatua quadam, longe alium in finem poſita, nonnulli per errorem eiusmodi quid ſibi perſuaderent; ab his autem alii in eamdem adducerentur opinionem, & ita fama haecce longe lateque propagaretur, multorumque occuparet animos, nemo temere negauerit, niſi cui ingenii humani ad talia credenda proniſſimi ignota prorſus fuerit indoles. Confirmatur hoc porro inde, quod EVSEBIVS, ad cuius auctoritatem praecipue res redit, ex aliorum potius, vt antea obſeruatum, quam ſua, hac de re loquatur ſententia; reliqui autem, qui poſt eum ſtatuae huius mentionem fecerunt, & ab illo & inter ſe mirifice diſſentiant; omnes denique in vniuerſum de muliere iſta, quam profluuio ſanguinis laborantem Chriſtus ſeruator ſanauit, talia tradant, quae cum ſcriptura ſacra non conueniunt. Quae omnia fuſius ediſſerere poſſem, niſi hoc iam ab aliis factum eſſet.

Satis quidem hinc patet, quam lubrica, quamue infirma ſint, quae imaginum defenſores in medium adferunt, vt earum iam apud veteres chriſtianos receptum fuiſſe cultum euincant. Iuuat tamen & alterum, quo non minus, ac eo, de quo iam verba fecimus, errorem ſuum tueri conantur, proferre exemplum; vt nouo ſpecimine, quam omnino nullum in primitiua eccleſia praeſidium inueniant, pateat.

* *lib. IV. de imaginib. cap. XV.*

pateat. Calices nimirum producunt, quos pictos fuiſſe, TERTVLLIANVS commemorat. Is namque, in Montani iam caſtris militans, dum in eo eſt, vt catholicos, quod a primitiuae diſciplinae rigore deſciuiſſent, reprehendat, diſſentientium nomine parabolam euangelicam ſibi ipſi obiicit, in qua ouis, quae a grege aberrauerat, ſummo a paſtore ſtudio quaeſita, ac in ouile reducta, illorum ſententiae fauere videtur, qui peccatorem, quem admiſſorum ſerio poenitet, in fidelium communionem recipiendum contendebant; ad quod quidem reſpondet, ouem aberrantem ſymbolum eſſe, non hominis chriſtiani, ex aliquo ſcelere aut flagitio reſipiſcentis, ſed ethnici, agnito errore, doctrinam euangelii primum amplectentis, atque tum *procedant*, inquit, *ipſae picturae calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrumne chriſtiano aut ethnico peccatori de reſtitutione conliniet.* * Et alibi ad eamdem parabolam reſpiciens, *ſi forte*, inquit, *patrocinabitur paſtor, quem in calice depingis, proſtitutorem & ipſum chriſtiani ſacramenti, merito & ebrietatis idolum, & moechiae aſylum poſt calicem ſubſequuturae, de quo nihil libentius bibas, quam ouem poenitentiae ſecundae.* ** In hiſce itaque TERTVLLIANI teſtimoniis non, quod pueri in faba, ſe inueniſſe imaginum defenſores exiſtimant; quum ex iis manifeſtum eſſe, contendant, iam TERTVLLIANI aetate vſitatum fuiſſe, vt imago ſeu effigies Chriſti in calicibus euchariſticis pingeretur. Certe parabolam de paſtore ouem

* *lib. de pudicitia cap. VII. p.m. 721.*

** *l. c. cap. X. p. 727.*

ouem deperditam quaerente in iſtis calicibus pictam fuiſſe exinde conſtat; hoc autem non perinde eſt, ac ſi ipſius Chriſti ſeruatoris in iis picta fuiſſet imago; quod nec TERTVLLIANVS dicit, nec ex verbis eius colligi poteſt. Eſto vero, fuiſſe ſeruatoris imaginem, aut ſaltem eo loco habendam, ac ſi ipſius fuiſſet, num inde ſtatim ſequitur, eo tempore imagines in templis aut locis, in quibus ſacrorum peragendorum cauſſa chriſtiani conueniebant, poſitas fuiſſe, & quidem vt cultus quidam aut veneratio iis exhiberetur? Id vero eſt, de quo diſceptatur; & hoc ſi non euicerint diſſentientes, nihil prorſus efficient. Res ipſa docet, ad ornatum tantum, ſimul tamen etiam ad commonefactionem aut recordationem iſtam imaginem in calicibus veterum pictam fuiſſe; cuiusmodi picturas emblematicas, parabolicas, hiſtoricas, vt nemo vmquam proteſtantium improbauit; ita inepte prorſus ad cultum & adorationem imaginum probandam in medium adferuntur. Et haec quidem ſunt iſta exempla, quae in tribus primis a Chriſto nato ſaeculis vsque ad finem quarti imaginum patroni inuenire potuerunt, vt iis robur aliquod ſententiae ſuae conciliarent. Plura enim proferre non poſſunt, certe a quoquam prolata eſſe mihi non conſtat. Addere equidem ſolent teſtimonia GREGORII Nyſſeni, HIERONYMI, AMBROSII, AVGVSTINI, PAVLINI, aliorum, qui circa finem quarti, aut initium quinti ſaeculi vixerunt. Quemadmodum autem ex iſtis nihil aliud euinci poteſt, quam eo tempore imaginum vſum recipi hinc inde coepiſſe; quod non negamus: ita cultus aut adora-

adorationis caussa eas in templis collocatas, non dicunt, multo minus huncce morem adprobant; aut si quidam ex iis adprobare videantur, eos hac in re errasse, atque a scripturae sacrae norma pariter ac primitiuae ecclesiae exemplo discessisse, libere & citra ambages dicendum esset.

Quum dissentientes, seu qui pro imaginum cultu pugnant, adfirment, cultum istum imaginum in primitiua ecclesia receptum fuisse; eorum quoque erat, argumentis aut testimoniis fide dignis hoc comprobare; quod tamen quum nec fecerint, nec facere queant, vt ex dictis patet, caussa merito cecidisse censentur. Idque adeo quum sufficere queat, si quidem a nobis nihil amplius postulari potest, quam quod praestitimus, demonstrando, nihil prorsus, quod pondus aut momentum trahat, eos in medium adferre posse; vt tamen eo magis illos erroris conuincamus, testimoniis luculentissimis probabimus, imaginum cultum & venerationem in tribus prioribus saeculis in vsu non fuisse. Omnium autem instar esse potest *canon XXXVI.* concilii Eliberitani, circa initium saeculi quarti anno a Christo nato CCCV. congregati, in quo diserte sancitur: *placuit picturas in ecclesiis esse non debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur.* Ad quem quidem canonem etiam saeculo nono in eadem caussa prouocauit AGOBARDVS, Lugdunensis archiepiscopus, qui sub Ludouico pio, imperatore, floruit. *Recte*, inquit, *nimirum ob huiusmodi euacuandam superstitionem ab orthodoxis patribus definitum est, picturas in ecclesia fieri non debere, nec* (sic enim

legisse

legiſſe videtur) *quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* * Hoc ergo quum longe euidentiſſimum, omnique exceptione maius ſit teſtimonium, quo probatur, patres iſtius concilii ne quidem permittere voluiſſe, vt picturae aut imagines in templis exſtarent, tantum abeſt, vt cultum earum ac adorationem licitum eſſe crediderint: mirum non eſt, quod diſſentientes ad telum hocce declinandum in omnem ſeſe vertant partem. Quidam enim, canonem huncce ſuppoſititium & ab imaginum aduerſariis confictum eſſe, clamitant; alii nihil aliud ex eo colligi poſſe adſerunt, quam in prouincia Baetica per eum imaginum vſum fuiſſe ſublatum; alii, hoc ſolum a patribus Eliberitanis prohiberi, ne in parietibus deinceps depingerentur imagines, ob metum ſcilicet corruptionis aut deformationis; alii, eas tantum imagines improbari, quibus Deus, ipſaque ſacroſancta trinitas repraeſentetur; nonnulli denique in ipſos concilii Eliberitani patres iram ſuam atque furorem effundunt, eosque ob reiectum imaginum in templis vſum & cultum impietatis arguere non dubitant. Sed vel ipſe iſte diſſenſus indicio eſt, quantum negotii hicce canon illis faceſſat, & quod, quo magis in eo remouendo laborant, eo minus aliquid, in quo citra omnem dubitationem pedem figere poſſint, inueniant. Enimuero, qui canonem iſtum ſuppoſititium aut confictum volunt, nihil aliud agunt, quam vt ſuam aut imperitiam aut impudentiam prodant; ſiquidem is non tantum in omnibus Eliberitanae ſynodi tam manuſcriptis, quam

* *lib. de imaginibus cap. XXXIII.*

quam excuſis codicibus reperitur, ſed & iam ab AGOBARDO, ſaeculo nono, vt antea obſeruauimus, laudatus fuit. Qui, per eum in prouincia Baetica ſolum imaginum vſum ſublatum fuiſſe, adfirmant, primum quidem fatentur, quod generatim de imaginibus loquatur. Rectius deinde dixiſſent, vſum imaginum non tam *ſublatum*, quam potius *interdictum* fuiſſe; quum probare nequeant, earumdem vſum antea obtinuiſſe. Synodus porro Eliberitana non prouincialis ſolius Baeticae, ſed nationalis fuit totius Hiſpaniae, vt ſubſcriptiones docent, praeſentibus OSIO, Cordubenſi, VALERIO, Caeſaraugustano, aliisque viris ſanctisſimis, poſteaque maxima ſemper in eccleſia occidentali eius fuit auctoritas. Qui autem, hoc ſolum a patribus huius concilii prohiberi, exiſtimant, ne in parietibus imagines depingerentur, ob metum corruptionis aut deprauationis, prorſus mihi ineptire videntur. Nullas enim prorſus picturas ſiue imagines cuiuscumque generis in eccleſia eſſe debere, in canone diſerte dicitur; tumque ratio additur, quod nefas ſit, colere aut adorare id, quod in parietibus depingitur. Atque hinc etiam patet, quid illis reſpondendum ſit, qui eas tantum improbari imagines putant, quibus Deus aut ſacroſancta trinitas repraeſentetur. Omnes enim indiſcriminatim picturas ſiue imagines intelligi, clarisſima canonis verba docent. Dei etiam inuiſibilis, vel ſacroſanctae trinitatis, nullas non tantum eo tempore, ſed & multis poſt concilium Eliberitanum ſaeculis apud chriſtianos fuiſſe imagines, viris doctis obſeruatum eſt; vnde harum
ſolum

ſolum in templis prohibere vſum abſonum fuiſſet. At Chriſti, Petri, Pauli, & ſi quae aliae imagines, in tabulis depictae, eo tempore inter priuata κειμήλια habebantur, teſte EVSEBIO;* & tales quidem in templis collocari noluiſſe patres Eliberitanos, non eſt, quod dubitemus, ne occaſio illas colendi aut adorandi hac ratione hominibus praeberetur, resque omnis tandem in turpem idololatriam abiret. Qui denique ipſos patres Eliberitanos adgrediuntur, eosque impietatis accuſant, arma, quae deſperatio ſuppeditat, mihi arripere videntur, adeoque nihil aliud agunt, quam vt cauſſae ſuae imbecillitatem prodant.

Singulorum eccleſiae doctorum varia proferre poſſem teſtimonia, ſed cumprimis EPIPHANII, cuius quanta quarto ſaeculo fuerit apud catholicos exiſtimatio, neminem fugit, illud, quod in *epiſtola* eius ad IOANNEM, epiſcopum Hieroſolymitanum, quam HIERONYMVS in linguam latinam transtulit, exſtat, dignum eſt, quod hic legatur. *Quando*, inquit, *ſimul pergebamus ad ſanctum locum, qui vocatur Bethel, vt ibi collectam tecum ex more eccleſiaſtico facerem, & veniſſem ad villam, quae dicitur Anablatha, vidiſſemque ibi praeteriens lucernam ardentem, & interrogaſſem, quis locus eſſet, didiciſſemque eſſe eccleſiam, & intraſſem, vt orarem; inueni ibi velum pendens in foribus eiusdem eccleſiae tinctum atque depictum, & habens imaginem, quaſi Chriſti, vel ſancti cuiusdam; non enim ſatis memini, cuius imago fuerit. Cum ergo hoc vidiſſem, in eccleſia Chriſti contra auctoritatem ſcripturarum hominis*

* *hiſt. eccleſ. lib. VII. cap. XVIII. p. 265.*

*nis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus eiusdem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent. Illique contra murmurantes dixerunt; ſi ſcindere voluerat, iuſtum erat, vt aliud daret velum, atque mutaret. Quod cum audiſſem, me daturum eſſe pollicitus ſum, & illico eſſe miſſurum. Paululum autem morarum fuit in medio, dum quaero optimum velum pro eo mittere; arbitrabar enim de Cypro mihi eſſe mittendum. Nunc autem miſi, quod potui reperire, & precor, vt iubeas presbyteros eiusdem loci ſuſcipere velum a latore, quod a nobis miſſum eſt; & deinceps praecipere, in eccleſia chriſti eiusmodi vela, quae contra religionem noſtram veniunt, non adpendi.** Non tantum diſerte *contra auctoritatem ſcripturarum eſſe, hominis in eccleſia Chriſti pendere imaginem,* EPIPHANIVS pronuntiat; ſed velum quoque illud ſcindendo ipſo facto ſententiam ſuam comprobauit, nec IOANNE, Hieroſolymitano, nec alio quoquam hactenus repugnante, vt dicerent, non eſſe nefas, eiusmodi imagines in templis tolerare, quod haud dubie facturi fuiſſent, ſi credidiſſent, ſecus ſe rem habere, ac EPIPHANIVS dixerat. Immo, quum aliud velum, ſed ſine imagine, mitteret, monet IOANNEM, Hieroſolymitanum, vt iubeat presbyteros deinceps praecipere, in eccleſia Chriſti *vela, quae contra religionem noſtram veniant* (ſeu in quibus imagines depictae ſint) *non adpendi.* Vſum ergo imaginum in templis aedibusque ſacris *contra religionem chriſtianam* eſſe cenſuit EPIPHANIVS; eaque in re conſentientem ſecum

* *tom. II. operum* EPIPHANII, *p. 317.*

ſecum habuit HIERONYMVM, quippe qui hancce eius epiſtolam, vt antea diximus, in linguam latinam tranſtulit. Quid vero ad haec imaginum defenſores? praeſertim qui in eccleſia Romana earum cauſſam agunt? Mirum in modum ſe torquent, vt hinc ſe expediant, & aliquid excogitent, quo incautis rerumque imperitis faciant fucum. Turpiter ſe traducunt, qui hominis vulgaris, non autem ſancti cuiusdam imaginem fuiſſe, fingunt, quae in velo iſto depicta fuerit; ſiquidem verbis clariſſimis EPIPHANIVS profitetur, non ſatis ſe meminiſſe, num Chriſti an ſancti cuiusdam fuerit imago. Ergo aut Chriſti aut ſancti cuiusdam fuiſſe imaginem dubitari prorſus nequit. Alii quum hocce parum feliciter procedere commentum vident, ſpuriam hancce eſſe epiſtolam, falſoque EPIPHANIO ſuppoſitam clamitant; aut ne nullum prorſus impudentiae ſuae modum ſtatuiſſe videantur, eam ſaltem partem, in qua verba, antea recitata, leguntur, a quodam imaginum hoſte eidem adſutam contendunt. Quod dum faciunt, parum penſi habent, nihil facilius eſſe, quam ſcriptorum, in quibus, quae nobis diſplicent, occurrunt, in dubium vocare γνησιότητα; ſed nihil quoque ineptius, quam ſi ſine iuſtis praegnantibusque id fiat rationibus. Nihil hoc pacto in omni antiquitate certum fixumque, nihil prorſus erit, cui tuto inniti liceat. Iſtudque intellexiſſe videntur, qui breuiſſimam viam negotium hoc conficiendi eſſe, exiſtimarunt, ſi in ipſum EPIPHANIVM arma ſua conuerterent, eademque illum imbutum fuiſſe adſererent haereſi, qua deinceps in tranſuorſum acti

 ſint,

ſint, qui imaginum cultum ac adorationem reiecerunt; hoc ipſo quam lubrica, quamue deſperata cauſſa illa ſit, cuius in ſe ſuſceperunt defenſionem, ſignificantes.

Circa finem ſaeculi quarti nonnullos imagines in templa inferre coepiſſe: lubentes concedimus, & iam antea quoque indicauimus. Quae licet ſaeculo quinto & ſexto magis inualeſceret conſuetudo; tantum tamen abeſt, vt cultus aut adoratio imaginum adprobaretur, vt magno potius conſenſu, ceu chriſtianae religioni repugnans, reiiceretur damnareturue. Certiorem fideque digniorem huius rei laudare nequeo teſtem, quam GREGORIVM magnum pontificem Romanum, quem circa finem ſaeculi ſexti eccleſiae praefuiſſe, conſtat. Quum enim SERENVS, Maſſilienſis epiſcopus, animaduerteret, nonnullos ad cultum & adorationem imaginum pronos eſſe, vt omnem hiſce idololatriae occaſionem adimeret, confringere omnino imagines, & ex templis eiicere conſultum duxit. Quem quidem eius zelum parum tempeſtiuum licet GREGORIVS hactenus reprehendat, quod imagines confregerit, atque eiecerit; ſimul tamen laudat, quod eas coli ac adorari noluerit. *Praeterea indico*, inquit, *dudum ad nos perueniſſe, quod fraternitas veſtra, quosdam imaginum adoratores adſpiciens, easdem in eccleſiis imagines confregit atque proiecit. Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari poſſet, habuiſſe laudauimus, ſed frangere easdem imagines non debuiſſe indicamus. Idcirco enim pictura in eccleſiis adhibetur, vt hi, qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quae legere in*

in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas seruare, & ab earum adoratu populum probibere debuit; quatenus & litterarum nescii haberent, vnde scientiam historiae colligerent, & populus in picturae adoratione minime peccaret. Quod de vero & genuino imaginum vsu GREGORIVS pronuntiat, recte se habet, quum & nos, tolerari imagines in templis ad vsum historicum posse, adseramus. Non minus tamen & rectissime cultum earum & adorationem improbat. Hinc non tantum laudasse se, ait, zelum SERENI, quem habuerit, *ne quid manufactum adorari posset;* sed & diserte dicit, quod *populum ab earum* (imaginum) *adoratu prohibere debuerit.* * Similia GREGORIVS in alia ad eumdem SERENVM epistola repetit, immo serio inculcat. *Et quidem*, inquit, *quia eas* (imagines) *adorari vetuisses, omnino laudauimus, fregisse vero reprehendimus, &c. Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturae historiam, quid sit adorandum, addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis praestat pictura cernentibus; quia in ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi debeant, in ipsa legunt, qui litteras nesciunt etc. Frangi ergo non debuit, quod non ad adorandum in ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum.* Haec & alia eiusdem generis quum copiosius edisseruisset, tandem concludit: *si quis imagines facere voluerit, minime prohibe; adorari vero imagines, modis omnibus veta.* Recte dicit pontifex: *modis omnibus veta*, quum perspectum satis atque exploratum haberet, sine idololatriae crimine

* *lib. IX. epistolar. indict. II. epist. CV. tom. II. operum pag. 1006.* edit. quae Parisiis anno MDCCV. prodiit.

ne hoc fieri non posse; quum solus Deus colendus & adorandus sit; quod & ipsemet statim inculcat serio, quando pergit: *sed hoc sollicite fraternitas tua admoneat, vt ex visione rei gestae ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctae trinitatis humiliter prosternantur.* *

Quantumuis autem GREGORIVS magnus, aliique viri docti & cordati, imaginum cultui & adorationi se opponerent; postquam tamen semel in templa aedesque sacras receptae erant, impedire, qui deinceps illorum vestigia premebant, non potuerunt, quin tandem superstitio palam erumperet, multorumque in transuorsum ageret animos. Hinc acerrima illa in ecclesia Graeca saeculo octauo orta sunt certamina, quae quum omnibus nota satis sint, vt ea hic commemoremus, necesse non est. Opposuerunt equidem se fortiter illorum, qui pro imaginum cultu pugnabant, conatibus, imperatores, Leo Isauricus, & Constantinus, cui iconolatrarum factio, ad immane suum erga illum significandum odium, copronymi nomen dedit, sub quorum vltimo etiam anno DCCLIV concilium CCCXXXVIII episcoporum Constantinopoli conuocatum fuit, qui omnes vna voce concordique sententia definiuerunt, imagines colere, id vero nihil aliud esse, quam paganorum superstitionem & idololatriam postliminio reuocare, argumentisue quamplurimis & testimoniis ex scriptura sacra, immo ex patrum, quarti cumprimis saeculi, monumentis petitis sententiam suam confirmarunt.

* *epistolar. lib. XI. indict. IV. epist. XIII. p. 1100.*

runt. Quum autem Irene, mortuo marito Leone IV. & filio impubere, rerum in oriente summam teneret, sceleraque sua superstitione aut compensare aut tegere, nescio num pietatis, an prudentiae opus censeret, hinc & ad illorum partes, qui imaginum obtrudere cultum omnibus adnitebantur, accessisset, quorum caussam etiam Romani pontifices tuendam in se susceperant; iam tanto praesidio corroborata caput tollere coepit superstitio, magnisque augeri incrementis. Hinc concilium Nicaenum anno DCCLXXXVII conuocatum, in quo, quum cuncta ex Irenes libidine gererentur, mirum non est, quod abrogata synodo, sub Constantino copronymo habita, decretisque eius confutatis, Christi, beatae virginis Mariae, angelorum, sanctorumque virorum imagines, tam de coloribus & tessellis, quam ex alia quauis materia commode paratas, dedicandas & in templis sanctis collocandas, salutationem quoque & *honorariam adorationem*, non autem *veram latriam*, quae tantum diuinae naturae conueniat, illis exhibendam esse, sancitum fuit; atque constitutum. Quam festinanter, quam inconsiderate a CCCL illis, qui adfuerunt, episcopis, non tam animi sui sententiam, certe non omnibus, quam Irenes auctoritatem sequentibus, hic omnia gesta sint, quam friuolis & ineptis sententiam suam confirmarint rationibus, vt exponam, necesse non est, quum nemo temere adeo hospitem ex historiarum monumentis retulerit animum, vt ista ignoret. Tantum vero abest, vt pseudo-synodi huius Nicaenae decretis omnes se submiserint, aut ea scripturae sacrae & primitiuae ecclesiae

sen-

ſententiae ac conſuetudini conſentanea crediderint, vt plurimi contra tum in orientali tum in occidentali eccleſia acriter iis repugnauerint. Et in occidentali quidem ſynodus Francofurdienſis a Carolo magno anno DCCXCIV conuocata fuit, in qua pſeudo-ſynodus (ita enim ab iſtius temporis ſcriptoribus vocatur) Nicaena reiecta, eiusque pro adorandis imaginibus decreta improbata atque damnata ſunt. Immo in eadem ſynodo ſcripti ſunt ab ipſo Carolo magno *libri* iſti *quatuor de imaginibus*, qui hodie adhuc exſtant, & Romam ad Hadrianum I. pontificem miſſi, in quibus, licet illorum, qui imagines ſacras confringebant, & ex templis eiiciebant, intempeſtiuum reprehendat zelum; longe tamen acrius eos, qui cultu quodam imagines adficiendas contendebant, caſtigat & inſectatur. Illis *leuitatem* quamdam, his *atrocitatem*; illis *imperitiam*, his *nequitiam* tribuit. Abdicatas imagines quamdam *incautam leuitatem* adferre, ait; adoratas vero *culpam iuuare*. Nicaenam pſeudo-ſynodum ita adgreditur, vt quidquid in ea pro cultu imaginum excogitatum aut in medium adlatum eſt, excutiat, conuellat, profliget. Dumque ſcripturae teſtimonia, ad quae ſynodi iſtius patres prouocauerant, ſub examen reuocat, ea partim incaute & inepte, partim etiam impudenter ab iis ad hanc cauſſam detorta demonſtrat; ſubinde autem teſtatur, adorationem, quam iſti imaginibus tribuebant, neque per patriarchas, neque per prophetas, neque per apoſtolos, aut apoſtolicos viros vspiam inſtitutam eſſe. Pari ratione & quae illi ex patribus, ATHANASIO, AMBROSIO aliisque prole-

tule-

tulerant, explodit, eaque nihil prorſus ad rem facere oſtendit. Cumprimis vero obſeruatu dignum, quod non modo adorationem, quae ſoli Deo debetur, quamue λατρείαν vocare ſolent; ſed etiam *cultum, obſeruationem, venerationem,* honoremque eum, qui *collo inflexo,* vel *capite ſummiſſo,* itemque *thuris,* & *luminarium oblatione* exhibetur, iis deneget, adeoque, quam parum illi, qui diſtinctionem inter δουλείαν & λατρείαν ſemper in ore habent, hic ad rei ſummam proficiant, ſignificet. Enimuero perſpectum haud dubie ſapientiſſimo imperatori fuit, quam difficulter tranſitus a cultu δουλείας, ſi hic ſemel concedatur, ad cultum λατρείας, ſi vel maxime hanc diſtinctionem admittere velimus, impediri queat; immo quum plerique mortalium, ſaltem homines plebeii, nullam eius habeant rationem, nec ſenſum capiant, non alium eius vſum eſſe, quam vt rerum imperitis caligo obfundatur; aut illi, qui imaginum cultum defendunt, habeant, quo vtcumque ſuperſtitioni ac idololatriae ſpeciem quamdam conciliare queant. Atque haec tam manifeſta ſunt, & in aprico poſita, vt qui in eccleſia Romana pro imaginum cultu pugnant, neſciant, quo ſe vertere debeant. Nonnullorum equidem tanta eſt impudentia, vt in concilio Francofordienſi imaginum cultum damnatum negent; quum tamen non tantum ex *canone II.* iſtius concilii hoc pateat, ſed & ADO, Viennenſis epiſcopus, HINCMARVS, Rhemenſis, REGINO, AIMOINIVS, & deinceps CONRADVS, abbas Vrſpergenſis, HERMANNVS contractus, aliique fide digni, immo omni exceptione maiores hoc confirment teſtes; ne quid de

ipſius Caroli, imperatoris, libris, de quibus iam verba fecimus, dicam, qui omne hic, ſi quod oriri poſſet, dubium tollunt. Hinc & inter ipſos eccleſiae Romanae addictos, IOANNES CABASSVTIVS, vt alios nunc taceam, fatetur, in concilio hocce Francofordienſi ſynodum Nicaenam damnatam, omnemque imaginum cultum reiectum eſſe. * Alii itaque, quum rem ita ex voto non procedere videant, concilium Francofordienſe, vt alia, errare potuiſſe, & adeo non in iuris, ſed facti quaeſtione erraſſe, contendunt; alii aliud quid, vt hinc ſe expediant, comminiſcuntur; lubricam prorſus atque incertam viam eam, quam ingrediuntur, eſſe, ſignificantes. Pari ratione, vt aliquid, quod ad *libros de imaginibus*, a Carolo magno, imperatore, certe non ſine eius conſenſu & adprobatione, ſcriptos, veramque adeo & genuinam eius ſententiam referentes, reſpondere queant, inueniant, miſerum in modum ſe torquent, conatu tam infelici, tamque irrito labore, vt ne quidem, quae commemorentur, multo minus, quae refutentur, haecce eorum digna ſint commenta. Confirmata vero non tantum concilii Francofordienſis, & Caroli magni ſententia fuit in ſynodo Pariſienſi, anno DCCCXXIV congregata; ſed eamdem quoque ſaeculo iſto nono viri in Gallia, eo tempore doctrina & auctoritate conſpicui, IONAS, epiſcopus Aurelianenſis, IEREMIAS, Senonenſis, DVNGALVS, monachus ſancti Dionyſii, AGOBARDVS, archiepiſcopus Lugdunenſis, THEODEMIRVS abbas,

HA-

* in *notitia eccleſiaſtica hiſtoriarum, conciliorum &c. ſec. VII. pag. 320.*

HALITGARIVS, Cameracenſis & Atrebatenſis praeſul, FRECVLPHVS, Lexouienſis epiſcopus, HINCMARVS Rhemenſis, aliique, calculo ſuo adprobarunt, quorum longo ordine recitare teſtimonia poſſem; niſi ea, quae hucusque attulimus, abunde ſufficerent, vt omnes inde intelligant, per ſeptem priora a ſeruatore nato ſaecula eccleſiam chriſtianam ab adoratione & cultu imaginum prorſus alienam fuiſſe; quumque is ſaeculo octauo & nono introduceretur, non defuiſſe viros doctos & pios, qui eidem fortiter ſe opponerent. Atque haec ſi IAVORSKIVS conſiderare voluiſſet, animumque ſimul a ſuperſtitione, aut praeiudicatis opinionibus purgaſſet, vitio nobis non vertiſſet, quod ad exemplum veteris eccleſiae cultum imaginum reiiciendo idololatriae locum concedere nolimus.

Male vero & hoc IAVORSKIVM habet, quod traditiones non admittamus. *Verba Chriſti*, inquit, *abrogaſtis ſiue eleuaſtis praecepta diuina per traditiones veſtras, huic* (Luthero) *lapis offenſionis fuerunt, hinc reiecit traditiones.* Nec miror, hoc eum nobis obiicere, quum, non minus Graecis, quam Romanae eccleſiae addictis traditiones maximo in pretio eſſe, neminem fugiat. In *orthodoxa*, vt vocatur, *confeſſione catholicae atque apoſtolicae eccleſiae orientalis* diſerte dicitur: ἤγουν πῶς δύο λογίων εἶναι τὰ δόγματα· ἄλλα παραδίδει ἡ γραφὴ, τὰ ὁποῖα περιέχονται εἰς τὰ θεολογικὰ βιβλία, τῆς ἁγίας γραφῆς. καὶ ἄλλα εἶναι δόγματα παραδεδομένα ἐκ στόματος ἀπὸ τοὺς ἀποστόλους, καὶ ταῦτα ἑρμηνεύθησαν ἀπὸ τὰς συνόδους καὶ τοὺς ἁγίους πατέρας· καὶ εἰς τὰ δύο τοῦτα, ἡ πίστις εἶναι τεθεμελιωμένη· *Scilicet quod gemina ac duplicia eccleſiae*

clesiae dogmata sunt; alia litteris mandata, quae diuinis sacrae scripturae libris comprehensa habentur; alia viua voce ab apostolis tradita; atque haec ipsa sunt, quae postmodum a conciliis, sanctisque patribus, plenius declarata fuerunt; binisque hisce fundamentis fides superstructa exstat. * Similia & apud alios, qui ecclesiae Graecae dogmata exposuerunt, occurrunt. Verum maximopere hac in re vtrique, & Graeci, & Romanae ecclesiae addicti, falluntur. Vnicum namque fidei nostrae est fundamentum, scilicet dogmaticum, verbum Dei, seu doctrina prophetarum & apostolorum, *Ephes. II. 20.* prout ea in scriptura sacra, quam viri sancti, diuini spiritus adflatu perculsi, litteris consignarunt, exstat; hinc traditionibus, quae ore olim propagatae sunt, nobis opus non est. Ad scripturam sacram, non ad traditiones, ipsemet seruator eos ablegat, qui viam ad vitam aeternam quaerunt: *scrutamini scripturas, quandoquidem in eis vos aeternam habere vitam putatis, & eae sunt, quae de me testantur; Ioan. V. 39.* Et iterum: *habent Mosen & prophetas; eos audiant; Luc. XVI. 29.* Quae quum de libris sacris veteris testamenti dicta sint, multo magis res ita se habebit, postquam scripta euangelistarum & apostolorum in nouo accesserunt. Quumque ea, quae a prophetis & apostolis ex spiritus sancti impulsu litteris consignata sunt, ita sint comparata, vt nos ad fidem in Christum, & hac ratione ad salutem aeternam perducere queant, *Ioan. XX. 31. II. Tim. III. 15.* cur traditiones illis addere debeamus, nulla praesto est ratio. Praeterea quum de traditionibus, quae aliud quid, quam

* *part. I. quaest. IV. p. 18. 19.*

quam quod in ſcriptura ſacra exſtat, continent, dici nequeat, quod ex inſtinctu ac impulſu ſeu inſpiratione ſpiritus ſancti fuerint profectae; non alio loco, quam praecepta aut inſtituta humana, haberi queunt; recteque illis, qui eas ſcripturae ſacrae, ſi non praeferunt, certe, ceu alterum fidei fundamentum, adiungunt, opponitur, quod Chriſtus de Phariſaeis dixit: *bene prophetauit Eſaias de vobis hypocritis; ſicut ſcriptum eſt: populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe abeſt a me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, praecepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptiſmata vrceorum & calicum, & alia ſimilia his facitis multa. Bene irritum facitis praeceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis, Marc. VIII. 6. ſeqq.* Tantum hinc etiam abeſt, vt haecce verba LVTHERO fuerint lapis offenſionis, vt IAVORSKIVS ſibi perſuadet, vt potius inſtar lapidis Lydii fuerint, & nobis adhuc ſint, ad quae Romanae Graecaeque eccleſiae placita exigentes traditiones illas, quas eodem, quo ſcripturam ſacram, loco habent, reiiciendas eliminandasque eſſe deprehendimus. Qua ratione equidem IAVORSKIVS probauerit, aut probare voluerit, quod ea, quae de Phariſaeorum traditionibus ſeruator dixit, ad Graecae pariter & Romanae eccleſiae traditiones trahi nequeant, mihi non conſtat; veroſimile tamen admodum, non aliam eum hic elegiſſe, aut electurum fuiſſe viam, quam qua incedere ſolent, qui in Romanae eccleſiae caſtris militant; quiue iſtas Phariſaeorum traditiones, quae ſcripturae ſacrae e diametro aduerſen-

tur, a Chriſto damnari contendunt; cuiusmodi ſuas eſſe negant. Sed quam infeliciter hoc pacto cauſſae ſuae conſulant, facile intelliget, qui totum ſeruatoris noſtri ſermonem paullo accuratius conſiderauerit. Non enim vnius generis erant traditiones Phariſaeorum, quas reprehendit. Quaedam e diametro legi diuinae oppoſitae erant, vt illa, qua quarti praecepti de honorandis parentibus prorſus abolebant obligationem, de qua Chriſtus loquitur *Marc. VII, 10. 11.* Aliae in ſe ſpectatae legi Moſaicae non repugnabant, vt ablutiones vrceorum & calicum, & quae his ſunt ſimiles; nihilominus autem a Chriſto reprehendebantur, non alio vtique nomine, quam quod Phariſaei eodem, quo ſcripturam, eas haberent loco, aut omnino illi praeferrent. Quemadmodum itaque iſti traditionum defenſores, quibuscum nobis res eſt, non negant, traditiones non minus, quam ſcripturam ſacram ex ſua ſententia, fundamentum illud eſſe, cui fides innitatur; ita ſi mores apud eos receptos ſpectes, dubitari nequit, quin interdum traditiones ſcripturae praeferant, quod & quidam ex illorum numero adeo non diſſimulant, vt ingenue potius fateantur.

Vt autem omnibus, quae hic moueri poſſunt, dubiis eo rectius occurri queat, omnisque ab hac diſputatione remoueatur caligo; de iis hic praecipue nobis ſermonem eſſe traditionibus, obſeruandum eſt, quae aliquid ad fidem, aut vitam recte inſtituendam, continent. Si enim de factis tantum quibusdam quaeſtio ſit, quae ſiue negentur, ſiue admittan-

mittantur; salua tamen integraque manet vnica illa, quam scriptura sacra exhibet, fidei vitaeque regula, ex quibus nihil etiam, quod quacumque ratione ecclesiae noxium sit, aut cum libertatis, quam merito sibi vindicat, iactura illi obtrudi queat, consequitur; nobis quidem perinde esse potest, si quis in iis per traditiones longe incertissimas decipi velit. Rursus tamen & illud monendum, traditionis vocem interdum ita accipi, vt ipsa doctrina, quam apostoli equidem viua voce adnuntiarunt, sed quae in sacra quoque scriptura litteris consignata exstat, ea denotetur. Haecce enim in censum non venit significatio, quum potius de eo quaestio sit, an traditiones quaedam a scriptura sacra diuersae, doctrinamque, quae in ea non exstat, continentes, ceu regula quaedam & norma doctrinae ac vitae admittendae sint? Quod qui adfirmant, ostendere initio debent, quaenam istae traditiones sint? vnde nobis constet, eas ab *ipsis* apostolis esse profectas? *qua ratione continua* successione *in ecclesia aut propagatae* sint, *aut propagari* potuerint? quumque facile fieri queat, vt spuriae traditiones iis, quae pro genuinis venditantur, admisceantur, quae ratio sit, has ab illis discernendi? Quae omnia quum ita comparata sint, vt nihil solidi ad ea responderi queat, simulque euincant, traditiones non posse non longe esse incertissimas; vehementer se decipere manifestum est, qui illas, ceu regulam quamdam fidei & vitae, scripturae adiungunt. Sunt equidem ex Romanae ecclesiae addictis, qui se rem acu tetigisse existimant, quando dicunt, eam traditionem apo-

ſtolicam eſſe, cuius certa adſignari origo nequeat. Quod plane ludicrum eſt. Multa enim mendacia, multi circumferuntur errores, quorum nos plane origo latet. Quodſi adſeras, quae viua voce ab apoſtolis tradita ſunt, ea ipſa eſſe, quae poſtmodum a conciliis ſanctisque patribus plenius declarata fuerunt, prout in *orthodoxa confeſſione catholicae & apoſtolicae eccleſiae orientalis*, ex qua verba huc ſpectantia antea recitauimus, dicitur: tum quidem ſciendum, ea, quae a conciliis ſancita, aut a patribus expoſita ſunt, aut conuenire cum doctrina, quae in ſcriptura ſacra exſtat, aut ab ea diuerſa eſſe. Si conueniunt, quod ea ex traditione habuerint, dici nequit. Si non conueniunt, quaeſtio rurſus eo redit, qua ratione, an traditio quaedam apoſtolica fuerit? cognoſcere, & quo pacto ſpurias a genuinis diſcernere patres iſti potuerint? Decipi enim eos, aeque ac nos hodie, hac in re potuiſſe, & interdum deceptos eſſe, nullum plane eſt dubium. Ceterum explicare potuerunt ſcripturam, & in locis quibusdam obſcurioribus ſenſum eius inueſtigare, & hac ratione dogmata quaedam declarare, vt ideo nullis iis opus eſſet traditionibus.

Quemadmodum itaque eiusmodi traditiones, quae doctrinam ab ea, quam ſcriptura ſacra proponit, diuerſam continent, & de quibus, quod ab apoſtolis profectae ſint, certi eſſe queamus, non exſtant; ita & nullo modo admitti poſſunt, niſi in ſcripturam ſacram iniurii eſſe velimus. Quantum enim diſſentientes traditionibus tribuunt, tantum detrahunt auctoritati ſcripturae ſacrae. Immo dum *Romanae*

manae ecclesiae addicti id omni conatu agunt, vt scripturam sacram mox imperfectionis, mox obscuritatis arguant; traditionum autem longe rectius in dubium vocetur fides: hoc demum obtinent, vt, quod non sine ratione viris doctis obseruatum est, viam ad Pyrrhonismum aperiant, & ipsam religionem christianam profanorum hominum exponant ludibrio. Quum in scriptura sacra ad ipsam scripturam, ceu vnicam fidei ac vitae regulam ablegemur, vt antea ostendimus; vix sine impietate dici potest, Deum normam seu regulam dedisse, cui aliquid desit, cuiue adeo alia adhuc sit adiungenda. Et quid quaeso est, quod ad recte credendum, pieque viuendum, aeternamque adeo salutem consequendam requiratur, quod non inueniamus in scriptura sacra? Quumque ea vtilis sit *ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad iustitiae disciplinam, vt aptus sit homo Dei, ad omne recte factum bene comparatus*, *II. Tim. III. 16. 17.* non puto quidquam cogitari aut optari in iis, quibus hominum promoueri queat salus, posse, ad quod non sufficiat. Nullum praeterea proferri aut nominari dogma potest, eiusmodi quidem, sine quo christianae religionis ratio sibi non constet, quod non in scriptura sacra inueniatur, aut rite ex ea deriuari queat. Quae enim a secus sentientibus produci solent, ita comparata sunt, vt nostram potius confirment sententiam, tantum abest, vt eamdem euertant, destruantque. In ipsa equidem scriptura sacra traditionum interdum mentio iniicitur, vt quum Paulus *II. Thessal. II. 15.* dicit: *fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue*

L per

per ſermonem, ſiue per epiſtolam; itemque: *laudo vos, fratres, quod per omnia memores mei eſtis, & ſicuti tradidi vobis, praecepta mea tenetis, I. Cor. XI. 2.* & iterum: *ego accepi a domino, quod & tradidi vobis, quoniam dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur etc.* ibidem *verſ. 23.* Atque haec & alia quaedam eiusdem generis ſemper in ore habent, nobisque obiicere ſolent, qui pro traditionibus pugnant. Verum ſi vel vltimum, quem recitauimus, locum, conſideremus, longe erit manifeſtiſſimum, eiusmodi traditiones intelligi, quae non diuerſam, ſed eamdem prorſus doctrinam, quam & ſcriptores θεόπνευστοι litterarum conſignauerant monumentis, continebant. Quae enim de ſacrae coenae inſtitutione Corinthiis apoſtolus tradidit, ea ipſa ſunt, quae in hacce eius epiſtola legimus, quaeue ab euangeliſtis Matthaeo, Marco & Luca referuntur. Quumque ea, quae viua voce docebant & inculcabant, etiam interdum litteris complectebantur; recte ad Theſſalonicenſes idem apoſtolus ſcribere poterat: *quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam;* vt neutiquam inde ſequatur, dogmata, quae per ſermonem didicerant, ab illis diuerſa fuiſſe, quae in epiſtolis proponebantur.

Nec tantum autem ſcriptores ſacri, ſed veteris quoque eccleſiae doctores, quos patres vocamus, voce traditionis ita vſi ſunt, vt non aliam, quam quae in ſcriptura ſacra exſtat, doctrinam denotet. Luculenta ſunt haecce IRENAEI verba: *Non enim per alios diſpoſitionem ſalutis noſtrae cognouimus, quam per eos, per quos euangelium peruenit ad nos; quod quidem*

dem tunc praeconiauerunt; poſtea vero Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtrae futurum. * Dum apoſtolos idem euangelium, quod adnuntiarunt, in ſcripturis nobis *tradidiſſe*, docet; traditionem quidem laudat, ſed non aliam, quam quae in ſcriptura quoque litteris conſignata exſtat. Et hancce ſcripturam dum *fundamentum & columnam fidei noſtrae* vocat, eam ſolam, non autem traditiones, a ſcriptura diuerſas, vnicam fidei & vitae normam ac regulam eſſe ſignificat. Eodem modo & vocem *traditionis* ſumit, quando quibusdam interiectis, *poſt vero horum*, inquit, *exceſſum Marcus & diſcipulus & interpres Petri, & ipſe, quae a Petro adnuntiata erant, per ſcripta nobis tradidit.*** Pari ratione LACTANTIVS de apoſtolis verba faciens, *illorum*, inquit, *traditio, quia vera eſt, quadrat vndique, ac ſibi tota conſentit; & ideo perſuadet, quia conſtanti ratione ſuffulta eſt.**** Plura vt addamus, neceſſe non eſt, teſtimonia; quod facile fieri potuiſſet. Haud perfunctorie tamen id obſeruandum, quum inde pateat, quam infeliciter ſecus ſentientes ad patrum quorumdam prouocent effata, iis vt euincant, eamdem, quam ipſi, de traditionibus illos fouiſſe ſententiam. Subinde equidem patres quosdam, ſpeciatim IRENAEVM atque TERTVLLIANVM, traditionum mentionem feciſſe, lubens fateor. Sed res iis erat cum eiusmodi haereticis, qui quum ex ſcriptura valide refuta-

 rentur,

* *lib. III. cap. I. p. m. 198.*

** *l. c. p. 199.*

*** *lib. V. cap. III. p. m. 539.*

rentur, ſcripturam ipſam impugnabant, immo non omnes eius partes, easdemque nec integras recipientes, ex ſola ſcriptura veritatem doceri poſſe negabant, niſi traditiones ſimul, viua voce ab apoſtolis propagatae, adhiberentur. Iſtorum ergo hominum petulantiam vt compeſcerent, ad traditiones prouocabant, ab apoſtolis profectas, ſed eas, quibus idem confirmabatur, quod in ſcriptura ſacra exſtabat. Idque eo rectius facere poterant, quod eo tempore, ab apoſtolorum aetate non multum remoto, doctrinae veritas, fideique puritas, adhuc in eccleſia florebat. Neutiquam itaque per traditiones eiusmodi quid, quod a doctrina ſcripturae diuerſum, aut ei omnino repugnat, intelligebant; ſed vnam eamdemque doctrinam, quae & in ſcriptura continebatur, & viua ſimul voce ab apoſtolis propagata erat. Hinc & IRENAEVS in *epiſtola ad Florinum*, apud EVSEBIVM, quum ſermones POLYCARPI, & ea, quae is ab apoſtolis acceperat, commemoraſſet, πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, *omnia ſacris ſcripturis conſona fuiſſe*, profitetur. *

Atque hinc perſpicere licet, traditionum defenſores non magis in primitiuae eccleſiae patribus, quam in ſcriptura ſacra, cauſſae ſuae aliquod inuenire praeſidium. Qua de re tamen aliquid adhuc addere iuuabit, quum, quanta patrum apud ſecus ſentientes ſit auctoritas, neminem fugiat. De iis autem hoc intelligo, qui quatuor prioribus poſt Chriſtum natum ſaeculis vixerunt. Sequenti enim aetate

* *hiſtor. eccleſiaſt. lib. V. cap. XX. p. m. 188.*

te cum aliis erroribus hunc quoque, quo traditionibus plus quam decebat, tribuerunt, irrepſiſſe, lubentes concedimus. PAPIAM, virum apoſtolicum, & Ioannis apoſtoli diſcipulum, traditionum ſtudioſiſſimum fuiſſe, conſtat. Idque quum conſilio minime malo, vir cetera optimus, fecerit; ſuo tamen exemplo docuit, quam facile in hiſce labi mortales queant, quamque parum tutum ſit, traditionibus adhibere fidem. Quod quum EVSEBIO quoque perſpectum eſſet, adeo hoc non diſſimulat, vt aperte indicet, ſuam hoc ipſo ſimul de traditionibus prodens ſententiam. Poſtquam enim varia de eo commemorauerat, καὶ ἄλλα δὲ, inquit, ὁ αὐτὸς συγγραφεὺς ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα παρατέθειται, ξένας τέ τινας παραβολὰς τοῦ σωτῆρος καὶ διδασκαλίας αὐτοῦ, καί τινα ἄλλα μυθικώτερα. *Idem praeterea ſcriptor alia nonnulla nudae vocis traditione ad ſe perueniſſe teſtatur, nouas quasdam ſcilicet ſeruatoris parabolas ac praedicationes, aliaque fabulis propiora.* * Atque huc quum etiam ſententiam eius de regno Chriſti millenario retuliſſet, eum *ex male intellectis apoſtolorum narrationibus* in illam perueniſſe, adſerit. Praeterea & CLEMENTIS Alexandrini exemplo comprobare poſſem, quam facile in errores grauiſſimos prolabantur, qui traditionibus plus, quam decet, tribuunt; quod & ab aliis eccleſiae Graecae doctoribus illi exprobratum fuit; ſed BASILIVM potius audiamus, cuius ſumma apud Graecos auctoritas eſt & veneratio, ſententiam ſuam verbis luculentiſſimis de traditionibus prodentem:

* *hiſt. eccleſiaſt. lib. III. cap. XXXIX. p. m. 112.*

Διόπερ πάντων, inquit, ὁμοῦ καθαρεῦσαι ἀναγκαῖον, τῶν τε τοῦ διαβόλου ἐπιθυμιῶν, καὶ τῶν τοῦ κόσμου μετεωρισμῶν, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων παραδόσεων κ. τ. λ. *Quapropter necessarium est, vt pariter ab omnibus repurgemur & liberemur, siue diabolicis concupiscentiis, siue mundanis fastigiis, siue traditionibus humanis* &c.* Vbi quidem quod de eiusmodi traditionibus, de quibus hic nobis sermo est, quasue recte *humanas* dici, eo quod eas a Deo ipso profectas esse, probari nequeat, ex antea dictis intelligitur, loquatur, certe eas non excludat, ex iis, quae praecedunt, haud difficulter, si opus esset, probari posset. Ab his autem non minus, ac a *concupiscentiis diabolicis & mundanis fastigiis* nos repurgari vult ac liberari. Alibi autem idem vir sanctissimus hancce regulam ponit: ὅτι οὐ δεῖ παραδόσεσιν ἀνθρώπων ἀκολουθεῖν ἐπ' ἀθετήσει ἐντολῆς θεοῦ· *Quod nullo modo humanas traditiones sequi debemus, ita vt pro illis defendendis praecepta diuina violemus.* Quod cum verbis seruatoris, traditiones Pharisaeorum & scribarum reprehendentis, *Marc. VII. 6. seqq.* quibus & nos antea vsi sumus, comprobasset, statim, alteram regulam subiungit; ὅτι δεῖ πάντα ἀπαραλείπτως φυλάττειν, τὰ διὰ τοῦ εὐαγγελίου καὶ τῶν ἀποστόλων ὑπὸ τοῦ κυρίου παραδεδομένα· *Quod ad vnum omnia seruanda sunt, quae a domino per euangelium & apostolos tradita sunt, neque eorum quidquam praetermitti debet.*** Dum dicit, *quae per euangelium & apostolos tradita sunt*, dubium non est, quin ea,

* *lib. I. de baptismo cap. II. tom. I. operum p. m. 572.*

** *in moralibus reg. XII. cap. II. & III. tom. II. operum pag. 423.*

ea, quae ab euangeliſtis & apoſtolis litteris conſignata ſunt, intelligat; vnde &, quod non alias traditiones, quam quae in ſcriptura ſacra quoque exſtant, nec aliam fidei ac vitae normam, quam ipſam ſcripturam ſacram, admittat, conſequitur. Inter ſcripturae autem ſacrae, quibus hancce regulam confirmat, teſtimonia etiam illud Pauli, *itaque, fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam, II. Theſſal. II. 15.* adfert, ſimulque adeo ſignificat, quod & ipſimet ſupra monuimus, de eiusmodi traditionibus, quae nihil aliud, quam quod a ſcriptoribus θεοπνεύστοις litteris mandatum fuit, continent, hoc intelligendum eſſe. Sed plura vt addamus, neceſſe non eſt, cum ex traditionibus ipſis, quam lubricum & infirmum ſit, quod praebent fidei fundamentum, euidentiſſime pateat. Nimirum cum vtrique & Graeci & Latini, ſiue Romanae eccleſiae addicti, in eo conueniant, traditiones ſcripturae ſacrae adiungendas eſſe, in ipſis tamen dogmatibus mirum in modum a ſe inuicem diſſentiunt. Quumque nihiloſecius vtrique ad traditiones prouocent, nec tamen vtrorumque ſimul vera eſſe dogmata queant; in ipſis traditionibus nihil certi, nihilque firmi, cui tuto aliquis inniti queat, deprehendi, nemo non perſpicit. Graeci in ſacra euchariſtia panem enzymum adhibent, & adhibendum acriter contendunt, Latini, panem azymum; illi ſub vtraque ſpecie, vt loqui ſolent, ſacram coenam, intuitu etiam laicorum, adminiſtrant, hi, ſub vna; illi imagines pictas tantum colunt, hi etiam ſculptas; illi infantes ad ſacrae coenae vſum admittunt,

tunt, quod hi vehementer improbant; interim vtrique in hisce omnibus, vt & reliquis, in quibus inter se non conueniunt, ad traditiones prouocant. Num ergo Latinorum, an Graecorum hic fallant traditiones, ipsimet dispiciant; nobis autem vitio vertere nequeunt, si inde concludamus, lubricam admodum multisque erroribus obnoxiam eos ingredi viam, qui traditiones sequuntur.

Quod IAVORSKIVS de IO. CALVINO refert, verba Christi, quae in cruce protulit: *Deus mi, Deus mi, cur me dereliquisti*, illi lapidem offensionis fuisse, siquidem iis inductus seruatori desperationem attribuerit, ad nos non spectat. Habet CALVINVS sectatores quamplurimos, interque eos viros ingenio & eruditione praestantissimos, qui, si iis ita visum fuerit, caussam eius agere possunt. Missis itaque istis, ad signa falsorum prophetarum progredimur, quae in protestantibus IAVORSKIVS sibi deprehendisse visus est. Inter haec primum est, quod LVTHERVS, & qui cum eo ecclesiae emendationem susceperunt, diuina ad tantum opus destituti fuerint vocatione. *Consuetudo haec enim*, inquit, *& mos est haereticorum; non missi; sed proprio motu, peruersis doctrinis suis veniunt, noua quaedam auribus insinuant fidelium, praesertim in scriptura sacra haud exercitatorum. Sed sistite gradum parumper amici, dicite mihi, vnde venistis; a quo missi estis, ad hoc negotium peragendum etc. Clarum est, vos ea ratione, qua Christus, missos non esse, nec de tali excellentia gloriari potestis, dum modo archirabbinos vestros Martinum Lutherum, & Ioannem Caluinum in memoriam reuocatis; a quibus omnes haereses nostri*

ſtri aeui prouenerunt. Reſpondete igitur, quis vos miſit? Quomodo nuntiatis euangelium (ſiue praedicatis) ſi miſſi non eſtis? Nos Deus miſit. Vos autem reſpondete. Quod ſi aliunde non conſtaret, ex quorum diſciplina IAVORSKIVS prodierit; haec ipſa tamen, quae recitauimus, ſatis illud proderent verba. Id enimuero iam dudum egerunt Romanae eccleſiae addicti, interque eos cumprimis, qui ab ipſo ſeruatoris noſtri nomine ſocietati ſuae ſplendorem conciliare voluerunt, & hodie adhuc agunt, vt, quum ex ſcriptura ſacra dogmata noſtra refutare nequeant, in ipſo LVTHERO, eiusque in corrigenda eccleſia ſociis aliquid conquirant, quod nobis obiiciant, ſpeciatim vocationem eius ſollicitent. Quae licet iam centies, immo millies repulſa ſint a noſtratibus & profligata, repetere tamen non deſinunt. Praeter alios, quos lubens ſilentio praetermitto, id etiam noſtra aetate fecit vir cetera non indoctus LAMINDVS PRITANIVS, (quo nomine LVDOVICVM ANTONIVM MVRATORIVM tegi nonnulli perhibent) qui eadem fere, qua IAVORSKIVS, ratione hac de re diſſerit. *Mirum eſt*, inquit, *quam anxios efficiat, & verbis rationibusque exarmet hic locus ſinceros veritatis amantes, quorum non pauci adhuc ſunt inter noſtri temporis nouatores. Et ipſi intelligunt huius legis aequitatem; norunt hac de re apoſtoli praecepta; ſtatuerunt & ipſi, nemini licere ſine praeuia legitima vocatione atque misſione verbi Dei praeconem fieri. Primi autem praetenſae, quemadmodum vocant, reformationis auctores, Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, Socinus, & alii, quo titulo, quaeſo, quo nomine chriſtianorum orbem docendum ſibi ſumſe-*

re, & antiquissimas catholicae religionis cum sententias, tum consuetudines immutandas, ridendasque suscepere? Nulla ipsis extraordinaria, vt aiunt, & immediata a Deo vocatio fuit. Si fuisset, signis & prodigiis, quae veraces ac veros Dei prophetas perpetuo comitantur, diuinitus acceptam docendi auctoritatem confirmassent. Defuit & ordinaria vocatio. Non ipsis sacrum docendae plebis munus, & scripturas interpretandi, & ritus veteres proscribendi facultatem demandarant aut Romani pontifices, aut episcopi legitimi, aut concilia orthodoxa &c. * Sed haec ita comparata sunt, vt non tam nobis, quam sibi, dissentientes iis noceant. Si enim nos in errore versari ex scriptura sacra probare possent, quid, quaeso, operosa ista de LVTHERO eiusque vitiis aut virtutibus, itemque vocatione, opus esset disputatione? Nonne ita breuiori via nos redigere ad silentium possent? Nec etiam, si vel maxime caussa caderemus, (quod tamen frustra sibi pollicentur) quidquam, ad summam rei quod attinet, contra nos obtinerent. Maximum praepotentis, benignissimique Numinis munus esse agnoscimus, quod MARTINI LVTHERI, viri summi, egregiisque virtutibus ornati, quarum ne vmbram quidem omnes eius censores adsequuntur, opera ad veritatem, plus quam Cimmeriis tenebris circumseptam & tantum non consepultam, in lucem iterum producendam vti voluerit. Fides tamen nostra non auctoritate LVTHERI, sed claris, perspicuis, euidentibus scripturae sacrae nititur testimoniis. Dogmata, quae profitemur, vera esse cre-

* *de ingeniorum moderatione in religionis negotio, lib. II. cap. I. pag. 237.*

credimus, non quia LVTHERVS, aut MELANCHTHON, aut alius quispiam dixit, sed quoniam spiritus sanctus, cuius impulsu scriptores sacri sua litteris consignarunt, ea nos condocuit. Hocce praesidium quamdiu secus sentientes nobis non eripiunt, firmi & immoti persistimus, quidquid etiam de LVTHERO eiusque vocatione garriant.

Nec tamen haec eum in finem disseruntur, ac si credamus, momentum aliquod has eorum trahere obiectiones. Nihil facilius, quam istas dispellere nebulas, quibus veritati caliginem quamdam obfundere adnituntur. *Respondete igitur*, inquit IAVORSKIVS, *quis vos misit?* Respondeo: Deus Lutherum misit. At, *clarum est*, inquit porro, *vos ea ratione, qua Christus, missos non esse, nec de tali excellentia gloriari potestis.* Ineptit IAVORSKIVS. Non enim nouam LVTHERVS religionem condidit, aut nouam foederis gratiae oeconomiam instituit; sed corruptam tantum ecclesiam emendauit; hinc & tali missione, qua Christus hominum redemtor missus est, opus non fuit. Quodsi porro quaeras, an igitur ad eiusmodi ecclesiae emendationem LVTHERVS fuerit vocatus? mihi iterum te interrogare licet, an quis sanae mentis homo ea de re dubitet, aut dubitare queat? Nonne LVTHERVS membrum istius ecclesiae erat, in qua natus & educatus fuit? quumque summam eius, qua doctrinam, qua vitae rationem, non tam videret, quam manibus palparet corruptionem; immo quum non sine singulari Numinis directione per disputationem cum Tezelio contigisset, vt eam non videre & palpare

non possit: nonne ipsa naturae lege obstrictus erat, vt naeuos atque errores, quibus scatebat, indicaret, iisque, quantum in ipso erat, medelam adferret? praesertim quum se dotibus ad eiusmodi opus necessariis a Deo instructum intelligeret, omnesque illorum, qui eiusmodi quid adgressi erant, conatus irriti fuissent; plurimi vero id optarent, & anxie desiderarent. Id enim vero quum omnium, quocumque nomine veniant, societatum indoles postulet, vt iis, qui in quamdam earum recepti sunt, non tantum liceat, sed officii quoque sui partem esse existiment, commoda eius ea, qua possunt, ratione promouere; pericula autem quaeuis atque damna ab ea auertere: num ecclesiae christianae non eamdem, aut omnino deteriorem esse conditionem, credere par est? Nonne itaque ipsa charitas, quae, vt omni conatu aliorum saluti consulamus, exigit, hoc requirebat? Vocatio autem ecquid demum aliud est, quam voluntatis diuinae declaratio? quam quum ex re ipsa, quae se nobis offert, luculenter intelligimus, nihil aliud, quam vt eidem serio morem geramus, superest. Idque quum faceret LVTHERVS, & facere quoque deberet, eo quod ex ista rerum, quae illo tempore erat, facie Numinis non posset non cognoscere voluntatem; quis, quaeso, dubitauerit, quin rite vocatus ad tantum opus accesserit? Aut num alia vocatione, vt faciamus, quae charitatis ratio, studiumque aliorum commoda promouendi postulat, indigemus? Quid vero dicemus de Samaritano illo, a Christo seruatore laudato, aliisque in exemplum, quod imitarentur, proposito, qui hominem a latronibus, in quos Hieroso-

rosolyma ad Hierichuntem descendens, inciderat, dispoliatum & vulneribus fere confectum mortis periculo subtraxit, idque omni cura ac diligentia egit, vt sanitati restitueretur? Num alia is vocatione opus habuit, quam ea, quam charitatis suppeditauit ratio? aut, num peccauit forte, quod aliam non exspectauit? Hoc si ita est, sacerdos ille atque Leuita, qui, miserum videntes, praeterierunt neglexeruntque, procul dubio recte & sapienter egerunt. Inrerrogati enim, cur nulla istius hominis eos tetigerit cura, respondere potuerunt, se nulla, vt eiusmodi quid facerent, gauisos fuisse vocatione. Quod quam ineptum stolidumque sit, quum omnes intelligant; statim etiam patet, quam parum, quid dicant, faciantue, pensi habeant, qui; LVTHERVM vocatione ad ecclesiae emendationem destitutum fuisse, clamitant; quam tamen ipsa necessitas, miseraque ecclesiae facies omnibus, qui dotibus ad istud opus necessariis instructi erant, imperauit. Nec est, quod regeras, a pontifice, a cardinalibus, ab episcopis istam emendationem suscipiendam fuisse. Illorum vtique praecipue hoc erat officium, fateor. Sed quum eodem non fungerentur, & fungi aut non possent, aut non vellent; num ideo aliis hoc facere non licebat? Num pereundum potius ecclesiae fuit, quam facultas eam emendandi LVTHERO concedenda, quam tamen ipsa charitatis ratio omnibus christianis, si modô ad eiusmodi opus idonei sint, iniungit? Saepe hucusque de ecclesiae emendatione deliberatum fuerat, in concilio Pisano, Constantiensi, Basileensi, alibique. Sed nihil effectum, euentus

 docuit;

docuit; quum pontifices ipſi, & haud pauci ex cardinalibus & epiſcopis, omni conatu id agerent, vt emendationem iſtam impedirent, tantum abeſt, vt eamdem promouerent. Ab hiſce itaque quum nihil amplius, quam maior eccleſiae deuaſtatio, errorumque & ſuperſtitionis confirmatio, ſperandum eſſet; LVTHERVS autem omnino is eſſet, qui rebus deſperatis medelam adferre poſſet, isque etiam impulſu quodam diuino ad hoc excitaretur: num dubitare amplius licet, quin recte fecerit, aut a Deo ipſo fuerit vocatus?

Atque generalis haecce, de qua hucusque verba fecimus, ſufficere vocatio poterat, vt, recte eum emendationem eccleſiae ſuſcepiſſe, inde concludatur. Nec tamen & ſpecialis ei defuit, ſi recte intelligatur, atque cum generali illa coniungatur. LVTHERVM publicum fuiſſe in eccleſia & academia Wittebergenſi doctorem conſtitutum, atque ad vtrumque munus rite vocatum, conſtat inter omnes. Iam vero, licet omnium chriſtianorum ſit, eccleſiae grauiſſimis incommodis laboranti ſuccurrere; praecipua tamen ratione hoc ab illis, qui publico quodam munere funguntur, atque doctores eccleſiae ſunt, requiri, non temere quis negabit. Cura enim certae cuiusdam aut ſcholae, aut eccleſiae non tollit officium erga eccleſiam vniuerſam; immo ſi ſcholae, aut eccleſiae, cui quis praefectus eſt, aliter recte conſulere nequeat, quam ſi vitia totius eccleſiae reprehendat, corrigatque, ad hoc eum lege diuina, atque vi vocationis ſuae ſpecialis obſtrictum eſſe, palam eſt. Cautione

ne equidem quadam hic opus esse, lubens fateor, ne eorum adprobare videamur institutum, qui de ecclesia aut schola, curae suae speciatim concredita, parum solliciti, omnium eorum, quae in vniuersa ecclesia geruntur, censuram atque diiudicationem ad se pertinere, sibi persuadent, & hinc litibus, contentionibusque cuncta complent; interrogatique, quo iure istam sibi potestatem vindicent, statim respondent, se in publico docendi munere esse constitutos, adeoque ius fasque sibi esse, omnia ista, quae in tota ecclesia contingunt, sub examen reuocandi. Qui quidem homines, vt ambitionem litigandique pruritum interdum aperte produnt; ita magni nostri LVTHERI neutiquam se tueri possunt exemplo. Illis equidem, qui in publico docendi munere constituti sunt, vitio verti non posse, si interdum generatim eorum, quae ad vniuersam ecclesiam spectant, habeant rationem; immo hoc eis specialiori quadam ratione conuenire, fateor, & antea iam fassus sum; sed tum demum, si incommoda aut naeui ecclesiae manifesti sint; aut si verum, non autem fictum aliquod eidem immineat periculum; si etiam illi, ad quos potiori iure ista correctio spectat, prorsus officio suo desint; praeterea si donis ad istud opus necessariis fuerint instructi, & denique si ea, quae istius ecclesiae aut scholae, cui speciatim praefecti sunt, salus postulat, non negligant. Quae omnia quum in LVTHERO conspirauerint, eum omnino egisse, quae vocationis ad publicum docendi munus postulabat ratio, inde colligimus; quod tamen de illis neutiquam adserimus, qui in hisce cum eo comparari

parari nequeunt, quibusque aut quaedam ex iis aut omnia desunt. MARTINVS BECANVS, Iesuita, ex cuius fontibus IAVORSKIVM sua irrigasse arua nouimus, inter alia speciali Lutheri vocationi hoc obiicit, quod equidem rite vocatus sit; sed ad ea, quae menti sententiaeque ecclesiae Romanae consentanea sunt; non autem ad ea, quae illi repugnant, quod postea fecerit, docenda. Parum itaque istam eius vocationem praesidii caussae nostrae adferre. * At expendere illum oportebat, eos, qui LVTHERVM vocarunt, ideo voluisse, vt ex mente sententiaque ecclesiae Romanae doceret, quod existimarent, ecclesiae istius doctrinam veram esse, & cum scriptura sacra consentire. Hinc si ab adplicatione ista discedas, mens illorum atque voluntas fuit, quod ea, quae veritati consentanea sunt, docere, & ita aliis viam salutis monstrare debuerit. Atque hoc quum deinceps LVTHERVS, agnitis & detectis Romanae ecclesiae erroribus, fecerit, ipsa quoque, cui praefectus fuit, ecclesia, penes quam reuera ius vocandi est, hoc consensu suo comprobauerit; adeo facultate ista, quam per vocationem adeptus est, non excidit, vt potius tum demum maximum robur acceperit, quum iam, caligine dispulsa, verum a falso, rectum a prauo, discernere didicisset. Maiorem enim actionis, quae ex certa cognitione proficiscitur, quam quae caecitati & ignorantiae originem debet, efficaciam esse, apud omnes in confesso est. Recte itaque si ista specialis vocatio LVTHERI se habuit; ea quoque, quae intuitu totius ecclesiae inde deriuari possunt,

* in *manuali controuersiar. lib. I. cap. XII. p. 355.*

possunt, admittenda esse, firmoque consistere talo, iure contendimus. Extraordinariam, quam vocant, seu immediate a Deo profectam vocationem viro summo non tribuimus, quam & ipsemet sibi tribui noluit; qua etiam opus non habuit, quum, vt antea monuimus, non de noua ecclesia constituenda, sed corrupta solum emendanda, corrigendaque ageretur. Interim qui felicem operis ab eo suscepti successum, fructusque vberrimos, qui inde in ipsam quoque ecclesiam Romanam, quamuis hostili animo erga LVTHERVM furentem, quamue in quibusdam meliorem, in plurimis cautiorem factam ipsa experientia testatur, redundarunt, considerauerit, singularem quamdam Numinis, maxima hac ratione in plurimos mortalium beneficia conferentis, suamque simul voluntatem significantis, & hoc pacto vocationem LVTHERI comprobantis, intercessisse directionem, negare non poterit. Dum vocationem LVTHERI IAVORSKIVS impugnat, simul ab eo, pariter ac IO. CALVINO *omnes haereses nostri aeui prouenisse*, pronuntiat. Demonstrare nimirum voluit, quanta fide eos sequatur, ex quorum disciplina prodiit; adeo vt nullam, quam ab iis didicit, calumniam praetermittat. Idem enim iam pridem a Romanae ecclesiae addictis nobis obiectum fuit, iis cumprimis, qui nec conscientiae, nec pudoris habita ratione, parumque idcirco, num vera an falsa sint, quae narrant, curantes, id vnice agunt, vt ecclesiam nostram inuisam reddant. Varias post ecclesiae emendationem exortas haereses constat, idque tantum abest, vt negemus, vt lubentes potius fatea-

 mur.

mur. Exſtiterunt enim ex eo tempore anti-trinitarii, quorum alii Photini, alii Arii, alii etiam impia Sabellii reſuſcitarunt deliria; exſtiterunt anabaptiſtae, & fanatici, in varias iterum familias atque cohortes diſtinguendi. Iſtorum autem hominum commenta atque errores LVTHERVS, aut qui eius doctrinam ſequuntur, adeo non adprobarunt, vt potius in iis confutandis profligandisque nulli maiorem diligentiam, maiusque collocauerint ſtudium. Quam ſtrenue LVTHERVS anabaptiſtis ſe oppoſuerit, neminem fugit, niſi qui illorum omnium, quae eo tempore geſta ſunt, ignarus eſt. MICHAELEM SERVETVM, quem primum fuiſſe conſtat, qui damnatos dudum in veteri eccleſia de myſterio trinitatis errores poſtliminio ex orco reuocauit, PHILIPPVS MELANCHTHON refutauit, idemque omnino Geneuae conſentiente IOAN. CALVINO combuſtus eſt. Si labores, quos deinceps eccleſiae noſtrae theologi in omnis generis haereticorum erroribus confutandis ſuſceperunt, recenſere, aut libros eum in finem ab iis compoſitos editosue commemorare vellem, ingens hac de re mihi conſcribendum eſſet volumen. Quodſi dicas, habuiſſe iſtos haereticos quaedam, quae nobis cum illis communia ſint, dogmata; id quidem de illis, quae veritati conſentanea ſunt; non autem de falſis & erroneis, concedo. Ineptus vero prorſus eſſet, & rationis expers, qui ex conſenſu, in quibusdam nobis cum aliis intercedente, ſtatim, quod in reliquis omnibus conſentiamus, colligere velit. Graeci primatum papae reiiciunt; idem & faciunt Sociniani; Graeci ſacram

eu-

eucharistiam sub vtraque, vt loquuntur, specie administrant; idem & faciunt Sociniani. Inde ergo si quis colligeret, Graecos in reliquis cum Socinianis consentire, num illi huncce ratiocinandi modum adprobaturi essent? num laudaturus IAVORSKIVS? Pergunt equidem, atque clamitant, ecclesiae reformationem occasionem praebuisse eiusmodi hominibus, vt in lucem prodirent, suaque proferrent somnia. At, vt perperam illud dicitur, atque probari nequit, ecclesiae emendationem ea ratione haeresibus istis occasionem dedisse, vt quocumque modo impietatis istius caussa dici queat; ita quod eo circiter tempore, quo ecclesia emendari coepit, etiam exstiterint, qui errores aut haereses spargere instituerunt, id non magis nobis fraudi esse potest, quam apostolis, virisque apostolicis, quod eodem, quo ipsi euangelii doctrinam propagarunt, tempore, Simoniani, Cerinthiani, Gnostici, aliique enati sint haeretici, quorum numquam audita fuissent nomina, nisi *fuissent*, qui veritatis diuinae lucem per vniuersum diffundere orbem suarum duxerunt esse partium. Regerunt rursus, qui haeresium eiusmodi recentiori aetate exortarum culpam in ecclesiae transferre emendationem cupiunt, quum illi, qui ecclesiae emendationem susceperunt, non alium quaestionum theologicarum admiserint iudicem, quam solam scripturam sacram, & non alios ad verum eius & genuinum sensum inuestigandum interpretes, quam suum ingenium, fieri aliter non potuisse, quam vt tandem existerent, qui libertati suae sentiendi eousque indulgerent, vt non aliam sequi voluerint

luerint religionem, quam qualem quisque ſecundum ſuum genium ex nuda ſcripturae lectione ſibi efformauerit, nec quidquam aliud credere, quam quod clare, aperte, & ſine exceptione in ſcriptura ſacra inueniatur. Quod licet ſpeciem quamdam habeat; vanum tamen atque inane eſſe, facile intelliget, qui cuncta paullo accuratius conſiderauerit. Non alium vtique quaeſtionum ac controuerſiarum iudicem admittimus, aut admittere poſſumus, quam ſcripturam ſacram, ceu vnicam fidei atque vitae normam, aut ſpiritum ſanctum per ſcripturam ſacram ad nos loquentem. Firmiſſimis nos id facere inductos rationibus, vel ea, quae antea contra traditiones diſputauimus, quemlibet condocebunt. Ad interpretationem autem ſcripturae ſacrae quod attinet, tantum abeſt, vt omnibus ingenio ſuo pro lubitu indulgendi poteſtatem faciamus, vt potius ſecundum regulas certiſſimas euidentiſſimasque, quarum praecipuas ipſa ſcriptura ſacra ſuppeditat, eam explicandam contendamus. Et hancce qui recte ingreditur viam, eam quoque inueniet religionem, non quam quisque genio ſuo conuenire putat; ſed quam veram eſſe ſcriptura ſacra luculenter oſtendit. Nec errat, qui ea tantum credit, quae aperte & ſine exceptione in ſcriptura ſacra exſtant, aut ex ea rite deriuari poſſunt, quum in ea omnia, quae ſcitu creditque ad ſalutem ſunt neceſſaria, inueniantur; ſi quis modo eam, vt decet, intelligat, ac interpretetur.

Ad IAVORSKIVM vt reuertamur, is probe ſe intelligere exiſtimat, qua ratione diuinam LVTHERI ad emendandam eccleſiam probemus vocationem;

vt-

vtque isto nos deiiciat praesidio, omnes animi colligit vires, atque ita porro verba facit: *Audimus responsionem, sed friuolam.* Veram responsionem nostram, mi IAVORSKI, aut non audiuisti, aut dissimulasti; sed perge: *Nonne hoc (vestrum) celebratis miraculum, quod tam breui tempore conuertistis, aut, vt rectius dicam, peruertistis ad impiam doctrinam vestram suscipiendam tot regna & prouincias? Sed & Ariani olim tale iactabant miraculum, & nunc de simili gloriantur Mohammedani.* An & quousque ex felici emendationis seu reformationis successu diuinam LVTHERI probemus vocationem, ex iis, quae antea disputauimus, patet. Si doctrinae veritas in aprico posita fuerit, sique adeo per eius propagationem maximum in plurimos mortalium conferatur beneficium, dum hoc pacto a tenebris ad lucem transferuntur, ac aeternae illorum saluti consulitur; tum quidem felicem atque mirabilem suscepti operis successum, conspirantibus & reliquis, quae adesse debent, rationibus, singularem quamdam Numinis arguere directionem, & hactenus diuinam quoque inde recte colligi vocationem, si quis aut dubitet, aut abnuat, eum aut rerum omnium ignarum, aut mortalium impudentissimum esse oportet. Vnde & exemplum Arianorum & Mohammedanorum, quo IAVORSKIVS simul animi sui malignitatem demonstrare voluit, nihil prorsus ad rem facit. Si Ariani doctrinae suae veritatem demonstrassent, aut demonstrare potuissent, si illorum studio & opera ab insigni errore liberatus fuisset orbis christianus, & ad reliqua felix successus, instituto illorum respondens, accessisset; iure meritoque non

ſine ſingulari Numinis, res mortalium ſapienter dispenſantis, cura hoc contigiſſe, dicere potuiſſent. Haec omnia autem quum apud eos longe aliter ſe habuerint, quam apud LVTHERVM, & illos, qui eius doctrinam ſequuntur; ratio patet, cur hi ad felicem rerum ſuarum ſucceſſum recte prouocare potuerint; illorum autem nullum inde capiat cauſſa praeſidium. Accedit vero etiam, quod longe plura maioraque LVTHERO, eccleſiae emendationem adgredienti, ſe offerebant obſtacula, quam Arianis, id agentibus, vt dogma aliquod, rationi corruptae & myſteria aegre admittenti blandiens, aliis perſuaderent. Cum pontificibus enim Romanis, quorum maxima eo tempore in eccleſia occidentali potentia erat & auctoritas, & a quorum nutu imperatores regesque per vniuerſam Europam pendebant, quiue nihil moleſtius, quam eccleſiae emendationem ferebant, illi certamen ſubeundum fuit. Hisce autem licet indignantibus, furentibus, omnem mouentibus lapidem, vt LVTHERVM opprimerent, veritatemque, ab eo in lucem protractam, ceu haereſin peſſimam foediſſimamque proſcriberent, quod nihilo ſecius eius doctrina longe lateque fuerit propagata, plurimis in locis triumphauerit, ab integris regnis ac prouinciis recepta fuerit, id vero eiusmodi eſt, vt ſine auxilio & ope diuina fieri non potuerit; quum contra in Arianae impietatis diſſeminatione nihil omnino, quod non ex rationibus humanis, accedente iuſtiſſima Numinis permiſſione, contingere potuerit, conſpiciatur. Atque haec quidem ad diuinam LVTHERI vocationem comprobandam nobis ſufficere

queunt,

queunt, vt aliis nobis opus non ſit miraculis. Non enim, quod ſupra iam monuimus, & nunc iterum monendum eſt, de noua eccleſia conſtituenda; ſed de corrupta tantum corrigenda & emendanda agebatur. Quae emendatio, quum ad ductum ſcripturae ſacrae inſtituenda eſſet, res omnis eo redibat, an ex ea euidenter probari poſſet, in Romana eccleſia dogmata irrepſiſſe, quae falſa ſint & erronea; ea contra, quae LVTHERVS iis opponebat, eſſe vera? Hoc caput cauſſae erat; hinc vero & vocationem LVTHERI diuinam eſſe conſtare poterat, quam tamen praeter alia mirabilis illa doctrinae eius propagatio confirmabat. Cur ergo opus fuiſſet miraculis? quibus adeo & non indigemus, inde vt euincamus, eam, quae iſtam LVTHERI doctrinam ſequitur, veram eſſe eccleſiam. Romanenſes equidem ſecus ſentiunt, & miracula iactitare non deſinunt. Hinc IOSEPHVS SONNENBERGIVS, ex Ieſuitarum ſocietate, inter *praeſumtiones*, quas vocat, quibus eccleſiam Romanam veram eſſe eccleſiam probare voluit, hanc primo loco collocat: *cum ſola Romana eccleſia continua fulgeat miraculorum gloria, praeſumitur eccleſia vera.* Sed bene eſt, quod idem ingenue fateatur: *Equidem id negare non poſſumus, quosdam de prodigiorum certitudine parum ſollicitos bene olim viuere, quam ſcribere maluiſſe. Hos etiamnum hodie, fruſtra indignantibus nobis, rudior ſequitur inter catholicos populus: deliris aniculis miracula interdum (vt ſic loquar) non plus conſtant, quam ipſi Deo.* * Recte omnino. Quod vero quaedam dentur,

* in *nemeſi Romano-catholica &c. part. II. praeſumt. I. p. 88.*

dentur, quae tam certa & explorata ſint, vt in dubium vocari nequeant, vt idem contendit; id quidem eiusmodi eſt, vt non omnibus hoc ſit perſuaſurus. Eccleſiae hic non ſufficit auctoritas; quum ea falli poſſit: adeoque parum nos mouet, quod addit, *eum, qui miracula, quae tota eccleſia recepit, in dubium reuocare auſit, cum ratio domare non posſit, ferarum ritu tractandum eſſe;* ſiquidem ineptum hoc prorſus atque abſonum eſt, ſi vel maxime non tantum BARTOLVS, ad quem auctor prouocat; ſed & BALDVS iſtud adſerat. Nec exempla, quae ſubiicit, hoc euincunt, quum non deſint, quae ad ea reſponderi queant; quod oſtendi haud difficulter poſſet, ſi id nunc agerem.

Non tantum Arianorum, ſed & Mohammedanorum exemplum IAVORSKIVS nobis opponit, eo vt probet, ex felici ſucceſſu aut doctrinae propagatione diuinam LVTHERI vocationem probari non poſſe. Haud dubie eum etiam in finem id fecit, vt maiorem nobis conflaret inuidiam, atque indicaret, nos Mohammedanis non eſſe meliores, ſed eodem cum ipſis habendos loco. Nec inſolens hoc apud eos eſt, quos, ceu magiſtros ſuos atque duces, IAVORSKIVS ſequitur, vt nos cum Mohammedanis conferant atque contendant. FLORIMVNDVS RAEMVNDVS, cuius inter mendaciorum & calumniarum architectos longe notiſſimum nomen eſt, id ſibi quoque datum credidit, vt *comparationem nouae euangelicae doctrinae cum Mohammedana* inſtitueret, atque oſtenderet, *complures noui euangelii arti-*

articulos alcorano esse conformes. * Adferrem quaedam, quae speciminis loco esse possent, nisi me nugarum istarum taederet. Quo ineptior autem est nostrae & Mohammedicae religionis comparatio, eo turpior est calumnia. Et ad felicem quidem huius progressum ac propagationem, quam IAVORSKIVS nobis obiicit, quod attinet, si quis caussas, quae eam promouerunt, considerare velit, nullam earum in emendatione ecclesiae locum inuenisse, intelliget, adeoque haec quam maxime inter se dissimilia esse, perspiciet. Ea, quam Mohammed excogitauit, religio vt omnis mysterii est expers; ita rationi ad ea omnia, quae capere nequit, reiicienda, quae innata omnibus est ambitio, seque efferendi libido, pronissimae, vehementer se non probare non poterat. Eadem dum polygamiam admittebat, prauis mortalium egregie blandiebatur cupiditatibus; & genio cumprimis populorum orientalium valde erat accommodata. Talem vero religionem, quae nullum rationi iugum imponat, facultatemque ea, in quae plerique mortalium magno impetu ruunt, impune designandi, iis concedit, facili negotio recipi, & plurimos nancisci sectatores, quis miretur? Accedebat, quod fraudibus & astutiae arma victricia iungeret, quibus quum imperium sibi pararet, peropportuna haec erat occasio, religionem quoque propagandi. Ex eiusmodi autem caussis mirabilem istam doctrinae euangelicae, quam puritati suae LVTHERVS restituit, propagationem deriuandam esse, quis quaeso dixerit? nisi aut rerum omnium fuerit igna-

O rus,

* *de origine haeresium lib. IV. cap. IX. pag. 550. seqq.*

rus, aut animum ad impudenter obtrectandum obfirmauerit. Rationi adeo nullum in christianae religionis mysteria imperium concedimus, vt nihil diligentius frequentiusque in scholis nostris inculcemus, quam eam coercendam, suisque circumscribendam limitibus; eaque omnia, quae Deus in sacris litteris reuelauit, summa animi adsensione recipienda esse, licet vel maxime vim intellectus nostri multis modis superent. Prauis autem cupiditatibus, ad quas omnes natura proni sunt, tantum abest, vt frena laxemus, quidquid etiam IAVORSKIVS, aut alii calumnientur, vt potius diserte cum apostolo profiteamur, neminem, quod Christi sit, adserere posse, *qui non carnem cum libidinibus & cupiditatibus crucifixerit; Galat. V. 23.* Sed hac de re statim plura dicemus. Per arma autem vt doctrina nostrae ecclesiae eo tempore propagari non potuit; ita & vt eam hac ratione propagaremus, nemini nostratium in mentem venit, vtpote quibus satis superque perspectum est, quam hoc alienum sit ab indole religionis christianae. Omnem haec prorsus respuit coactionem, nihilque minus, quam fides, sine qua religio sibi non constat, est, quam vis aut metus progignit. Non coacto aut violento, sed spontaneo cultu Deus delectatur. Nostrum itaque facere possumus, quod Paulus dicit: *arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed diuinipotentia ad munitionum demolitionem; quibus armis cogitationes deturbamus, & omnem sublimitatem elatam contra Dei cognitionem, omnemque mentem ad obediendum Christo cogimus, etc. II. Cor. X. 4. 5.*

Quod

Quod diximus, per ecclesiae nostrae doctrinam prauis cupiditatibus neutiquam frena laxari, ita comparatum est, vt a nemine, nisi manifestae calumniae reus esse velit, negari queat. Negat tamen, qua est impudentia, IAVORSKIVS, & ita de nobis pronuntiat: *vos latam aperuistis vitae humanae* (eam haud dubie intelligit, quae est hominum huius mundi) *viam. Ieiunia sacra abrogastis. Bona opera tamquam ad salutem non necessaria reiecistis. Poenitentiam & mortificationem carnis tamquam fabulosa habetis. Coelibatum & voluntariam paupertatem deridetis. Virginitatem rem existimatis impossibilem. Hac ratione sine vllo labore tot populos breui in vestras pertraxistis partes, & peruertistis. Num hoc est apostolatus vestri miraculum? o! apostolos, aut potius apostatas, & aduersarios sanctae ecclesiae!* Tot calumnias vnico fasce complexus est IAVORSKIVS. Calumnia est, quod *latam*, vt loquitur, *vitae humanae aperiamus viam.* Non aliam enim ad salutem viam nouimus, quam veram in Christum fidem, qua qui praediti sunt, vitiis quibusuis atque prauis cupiditatibus bellum perpetuum indicunt, & per salutarem istam, quae omnibus adparuit, Numinis gratiam se erudiri patiuntur, vt *impietati mundanisque cupiditatibus valedicto, frugaliter & iuste, pieque viuamus in hoc saeculo, Tit. II. 12.* Eos, qui ex Deo nati sunt, *vincere mundum* (adeoque & quidquid in mundo est, videlicet *carnis & oculorum cupiditatem, & vitae arrogantiam)* docemus, *fidemque nostram victoriam esse, quae mundum vicit, 1. Ioan. V. 4.* Omnes eos, qui non tantum dici, sed & esse christiani volunt, sic existimare contendimus: *se mortuos quidem esse peccato,*

ſed viuos Deo, per Chriſtum Ieſum, dominum noſtrum, adeoque id omni ſtudio operam dare, *ne peccatum in mortali illorum corpore regnet, ita vt peccato in corporis cupiditatibus pareant; neue membra ſua iniuſtitiae arma peccato praebeant, ſed vt ſe Deo, tamquam ex mortuis viui, & membra ſua iuſtitiae arma praebeant; Rom. VI. 11. 12.* Haec ſimiliaque, praeeunte ſcriptura ſacra, docemus, profitemur, quotidie noſtris hominibus inculcamus, ſerio adſeuerantes, atque teſtantes, non aliam ad ſalutem aeternamque vitam viam eſſe, quam illam, de qua Chriſtus ſeruator loquitur: *Intrate per anguſtam portam: nam lata eſt porta, & ampla via, quae ducit ad interitum, multique ſunt, qui per eam ingrediuntur; ſed anguſta porta, & arcta via eſt, quae ducit ad vitam, paucique ſunt, qui eam inueniant; Matth. VII. 13. 14.* Calumnia eſt, quod IAVORSKIVS dicit, *nos ſacra ieiunia abrogaſſe.* Hypocritica, ſuperſtitioſa, hiſtrionica ieiunia reiicimus; ſed vera ieiunia, quae libere ad praeſcriptum verbi diuini ſuſcipiuntur, tantum abeſt, vt improbemus, aut abrogata cupiamus, vt laudemus potius quam maxime atque commendemus. De bonis operibus idem docemus, quod apoſtolus Paulus, aut per apoſtolum huncce ipſe ſpiritus ſanctus docuit: *quod per opera legis mortalium nemo iuſtificetur apud Deum; Rom. III. 20.* Idem docemus, quod & Petrus apoſtolus, adprobante vniuerſo concilio Hieroſolymitano, docuit; *ſed nos per domini noſtri Ieſu Chriſti gratiam ſeruari credimus, quemadmodum & illi (patres veteris teſtamenti;) act. XV. 11.* Enimuero, ſi per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruamur; quod per bona opera ſeruemur, dici nequit.

Ita

Ita namque Paulus apostolus nos rationes subducere docuit: *Quodsi ex gratia, ergo non per opera; alioqui gratia non iam esset gratia. Sin per opera, non iam ex gratia: alioquin opus non iam esset opus; Rom. XI. 6.* Et hactenus omnino adserimus, bona opera non esse necessaria, vt per eam iustitiam, quae Deo placeat, aeternamque salutem consequamur, quum hic fides, quae meritum Christi adprehendit, vtramque faciat paginam. Hinc autem si quis colligat, ac si bona opera prorsus reiiciamus, quod IAVORSKIVS innuit, & deinde aperte profitetur, is maximam nobis inferet iniuriam. Tametsi enim non sint necessaria ad salutem consequendam; sunt tamen prorsus necessaria, vt fructus & documenta fidei; sunt necessaria, vt hac ratione animum gratum & promptum obsequium erga Deum demonstremus; sunt necessaria, vt supremi Numinis, ista a nobis exigentis, voluntati morem geramus; sunt necessaria, vt demonstremus, nos esse λαὸν istum περιούσιον, *populum peculiarem* Christi, quem sibi purgauit ζηλωτὴν καλῶν ἔργων, *magno zelo bona opera consectantem, Tit. II. 14.* Interim non noua est haec calumnia, quod bona opera reiiciamus, vtpote cui iam maiores nostri, qui confessionem Augustanam Carolo v. imperatori exhibuerunt, obuiam eundum esse, consultum duxerunt. *Falso*, inquiunt, *accusantur nostri, quod bona opera probibeant. Nam scripta eorum, quae extant de decem praeceptis, & alia simili argumento, testantur, quod vtiliter docuerint de omnibus vitae generibus & officiis, quae genera vitae, quae opera in qualibet vocatione Deo placeant. De quibus rebus olim*

parum docebant concionatores, tantum puerilia, & non necessaria opera vrgebant, vt certas ferias, certa ieiunia, fraternitates, peregrinationes, cultus sanctorum, rosaria, monachatum & similia. * Quumque copiosius mentem suam sententiamque de fide & bonis operibus exposuissent, tandem concludunt: *Hinc facile adparet, hanc doctrinam non esse accusandam, quod bona opera prohibeat; sed multo magis laudandam, quod ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi praecepti opera facere etc.* ** Calumnia porro est, quando IAVORSKIVS dicit, nos *poenitentiam & mortificationem carnis tamquam fabulosa habere.* Equidem dum poenitentiam & mortificationem coniungit, haud obscure significat, se non intelligere, quaenam verae poenitentiae secundum scripturam sacram sit indoles; quod tamen cum multis aliis, illis cumprimis, quorum institutione est vsus, illi commune est. Veram poenitentiam, quae in peccatorum agnitione, eorumque detestatione, seu ob admissa contritione, itemque vera in Christum, hominum redemtorem, fide consistit, quaeue idcirco sine singulari mentis mutatione esse nequit, adeo inter fabulas & commenta non referimus, vt praecipuum fere nostrae doctrinae caput constituat, de qua & quotidie verba ad populum facimus. Hoc si ignorauit IAVORSKIVS, damnare prius non debuisset, quam accurate, quid doceamus, inuestigasset; sin sciuit, & nihilo secius eiusmodi quid aliis persuadere voluit, ea egit, quae calumniatori sunt propria. Haud nescio equidem, Grae-

* *artic. XX. p. 15. 16.* ** *l. c. p. 18.*

Graecos aliter de poenitentia ſentire, quam nos, dum veram fidem, qua meritum Chriſti adprehendimus, ceu partem poenitentiae praecipuam omittunt; peccatorum contra enumerationem, & ſatisfactionem quamdam, a confeſſionario imponendam, ad eam requirunt, & quae alia ſunt eiusdem generis; quemadmodum & poenitentiam inter ſacramenta referunt. Verum iſtam, quam nos poenitentiae tribuimus, notionem veram & genuinam eſſe, ſcripturae ſacrae pariter ac doctorum primitiuae eccleſiae teſtimoniis comprobare poſſem, ſi nobis nunc copioſioribus eſſe liceret. Quodſi IAVORSKIVS ſincere nobiscum agere voluiſſet, diſcrimen, quod inter noſtram & eccleſiae Graecae ſententiam intercedit, indicare, & noſtram refutare debuiſſet. Id vero dum non fecit, ſed potius, quod poenitentiam, tamquam *fabuloſum quid*, vt illi loqui placuit, *habeamus*, (quod tamen ex iſto, quod inter noſtrae & Graecae eccleſiae ſententiam intercedit, diſcrimine neutiquam ſequitur) nobis imputauit, ab officio hominis, cui vlla veritatis aut honeſtatis cura eſt, quam longiſſime receſſit. Ad *mortificationem carnis* quod attinet, ea omnia, quae prauis cupiditatibus coercendis, edomandis, ſupprimendis inſeruiunt, homini chriſtiano agenda; euitanda autem fugiendaque ſedulo, quae illas irritare, alere, fouere poſſunt, numquam non docemus, & ſerio inculcamus. Quod quum neminem, niſi qui res noſtras plane ignorat, fugere queat; non poſſumus non IAVORSKII illam imputationem in eamdem cum priori referre claſſem. Sed nondum calumniarum & obtrectationum finis

eſt.

eſt. *Coelibatum*, inquit, *& voluntariam paupertatem deridetis.* Eiusmodi ſcilicet coelibatum, qualis plurimorum monachorum eſt, qui a matrimoniis abſtinentes clandeſtinis libidinibus indulgent, in rerum omnium affluentia vitam deſidem agunt, & ob ignauiam ſibi aliisque moleſti ſunt, iure meritoque deridemus. Inſanum enim eſſe oporteret, qui eiusmodi vitae genus Deo placere, aut ex eo commodum aliquod ad eccleſiam aut rempublicam redundare poſſe, ſibi perſuaderet. Eos, qui dono continentiae praediti ſunt, & coelibatum eligunt, vt munere ſuo, ſi quod illis in eccleſia demandatum eſt, eo rectius fungi queant, commendandos maximopere atque laudandos cenſemus; ſed quum illi, qui iſto continentiae dono, quod non omnibus conceſſum eſſe, ſeruator optimus diſerte pronuntiat, *Matth. XIX. 11.* deſtituuntur, aliquid, quod naturae vires ſuperat, ſuſcipiunt, mirum non eſt, ſi in peccata grauiora ruant, ſuique interitus ipſimet cauſſa exſiſtant. Qui in diuitiarum, ſiue bonorum huius ſaeculi adminiſtratione recte verſatur, vt iis ad neceſſitatem non ad libidinem aut oſtentationem vtatur, nec animum iis adiungat, ſed eumdem potius per veram ſui ipſius abnegationem ab eorum vinculis liberum atque immunem conſeruet; pauperum autem cumprimis diligenter rationem habeat, cur ipſa illorum poſſeſſione ſe abdicare debeat, nulla adeſt ratio, nullumque mandatum diuinum exſtat. Meliusque de eorum ſalute ſperandum, quam illorum, qui voluntariae paupertatis ſpecie ſuperſtitionem, ambitionem, liuorem, ignauiam, & ſi

quae

quae his ſunt grauiora vitia, tegunt. Quod ſi IAVORSKIO perpendere placuiſſet, nihil hic quoque, quod nobis obiiceret, inueniſſet. Et hinc facile intelligitur, quid de vltimo accuſationis capite cenſendum ſit: *virginitatem rem exiſtimatis impoſſibilem.* Falſiſſimum enim hoc eſt; interim ſemper monemus, probe obſeruanda, quae hac de re Paulus docet *I. Cor. VII. 25. ſeq.*

Iſtum ergo calumniarum exercitum quum IAVORSKIVS contra nos in aciem produxiſſet, iuſtiſſimam triumphandi, nobisque inſultandi ſe habere exiſtimauit cauſſam. *Hac ratione*, inquit, *ſine vllo labore tot populos breui in veſtras pertraxiſtis partes, & peruertiſtis. Num hoc eſt apoſtolatus veſtri miraculum? O! apoſtolos, aut potius apoſtatas, & aduerſarios ſanctae eccleſiae!* Sed triumphum canit ante victoriam. Tum enim demum, quod hic dicit, hominibus non omni rationis vſu deſtitutis perſuadebit, quum ex mendaciis veritatem, ex tenebris lucem elici poſſe probauerit. Quum ea, quae per calumniam longe atrociſſimam nobis adfingit, non doceamus; cauſſa quoque, cur lux doctrinae euangelicae tam cito tot regna & prouincias peruaſerit, hinc deriuari nequit. Longe aliam autem eſſe, antea iam demonſtrauimus. Apoſtolatus noſtri nullo indigemus miraculo, quum ſcripturae nitamur teſtimonio. Ab hac qui diſcedunt, & pro doctrina apoſtolica vanas, & ad errorem pariter ac ſuperſtitionem ducentes nobis obtrudunt traditiones, longe rectius in apoſtatarum referendi erunt numerum. Quum autem omnia, quae IAVORSKIVS hucusque diſſeruit, eo tendant, vt inuiſam

P reddat

reddat ecclesiam nostram, ac si *latam*, vt loquitur, *aperiamus vitae humanae viam*, suumque simul erga Romanam ecclesiam, illosque, qui praecipuam eius partem constituunt, Iesuitarum societati adscriptos, studium demonstret; non abs re fuerit, horum quaedam circa mores formandos, vitamque recte instituendam commemorare placita, inde vt, qui cum IAVORSKIO faciunt, intelligere queant, num nobis an his rectius doctrina, quae prauis cupiditatibus frena laxet, immo peccatis quibusuis & vitiis grauissimis patrocinetur, tribuatur. Nec desunt inter ipsos Romanae ecclesiae addictos viri docti & egregii, qui eiusmodi Iesuitarum dogmata, omnem vitae christianae rationem prorsus euertentia, collegerunt, & indicarunt, & quod per ea morum disciplina, quae apud christianos purissima & sanctissima esse debebat, eneruetur, prosternatur, conculcetur, omniumque ludibrio exponatur, grauiter conquesti sunt. Cum primis hoc egit auctor ille, qui comparationem doctrinae gentilium & doctrinae Iesuitarum, simulque constitutionis a Clemente XI. pontifice editae, quae incipit: *vnigenitus Dei filius*, & in qua haec confirmatur, instituit; * qui etsi ex illorum numero sit, qui Iansenii partes sequuntur; cuncta tamen testimoniis tam luculentis confirmauit, vt ea in dubium vocare non liceat. Perspiciet, qui ista legerit, & rite considerauerit, ethnicorum in plurimis capitibus longe meliora sanioraque fuisse dogmata,

* Liber iste, qui inscribitur: *parallele de la doctrine de payens, avec celle de Iesuites, & de la constitution du Pape Clement XI. etc.* prodiit Amstelodami MDCCXXVI. 8.

mata, quam Iesuitarum. Quis quaeso dubitet, inter prima praecipuaque hominis christiani officia esse, vt animum eorum omnium, quae scitu ad salutem sunt necessaria, cumprimis quae Deus ab hominibus fieri voluit, cognitione imbuat? Quis contra eiusmodi effata: *raro aut nunquam tenetur homo se praeparare ad gratiam, vt tollat ignorantiam;* item: *non dari potest peccatum sine aliqua Dei notitia;* porro: *Deum ignorare, id quoque magna beneficii & gratiae pars fuit; cum enim peccatum sit essentialiter offensio ex ira Dei, sublata Dei cognitione, necessario sequitur, nec iniuriam, nec peccatum, nec aeternam poenam esse*, toto non detestetur pectore? Et talia tamen aperte docent & profitentur, qui primum in ecclesia Romana locum tenent, quiue prae reliquis ingenii & eruditionis laude eminent, morumque praestantissimi magistri esse censentur. Impune ergo omnia scelera, omnia crimina, omnia flagitia committi possunt, ea ratione, vt ne quidem peccata sint, si modo quis persuasus sit, nullum esse Deum. Quis non felicem atque beatam istam adpellitet ignorantiam, quae facultatem quiduis impune perpetrandi concedit? Immo non tantum facultatem concedit, sed & potentiam secus agendi adimit, vt tum ne peccare quidem possit. Ita enim alius ex eodem grege: *facta igitur hypothesi, quod Deus sub nullo conceptu cognoscatur, impossibile erit peccare.* Et ne quid impietati desit, ne tum quidem eiusmodi homo peccabit, si vel maxime sciat, se non recte agere. RODERICI DE ARRIAGA, magni inter Iesuitas nominis viri haec est sententia: *ergo talis homo ignorans Deum non peccabit mortaliter, etiamsi*

alium occidat & putet se male facere. Legem diuinam omnium cordibus inſcriptam, & ſua quemlibet docet conſcientia, & Paulus teſtatur *Rom. II. 15.* Vnde & ſponte ſua conſequitur, quoad principia, quibus vita hominum dirigitur, nullam dari ignorantiam, vt loqui ſolent, inuincibilem. Hanc autem qui defendunt, nihil aliud iterum agunt, quam vt ad ſcelera quaeuis committenda aditum miſeris mortalibus muniant. Quis vero eos, qui totius orbis chriſtiani magiſtri eſſe volunt, hoc facere credat? Audi, lector, & obſtupeſce! Eſt enim ex illorum numero, qui diſerte adſerit: *Principia aliqua vniuerſalia legis naturae, vt ſunt haec, non eſſe furandum, occidendum, adulterandum, parentes honorandos, & ſimilia, etſi non poſſunt ignorari inuincibiliter toto humanae vitae tempore, poſſunt tamen aliquo breui, immo etiam ſatis longo.* Ergo iſto aliquo breui, immo ſatis longo vitae humanae tempore, quo iſta inuincibiliter ignorantur, poteſt aliquis furari, occidere, adulterari, parentes non honorare. Nonne egregia haec eſt morum apud chriſtianos diſciplina? Quid itaque mirum, alium ex eodem ordine docuiſſe, inuincibiliter aliquem ignorare poſſe, quod fornicatio cum proſtibulo publico peccatum ſit: *ſi autem loquamur de fornicatione, quae eſt concubitus vagus cum meretrice omnibus expoſita, & in republica permiſſa; tunc aliquando in hominem rudem & ruſticum poteſt cadere ignorantia inuincibilis.* Haeccine inter chriſtianos audiri, immo palam doceri fas erat? Fidem hoc ſuperaret, niſi aperta iſtorum hominum id teſtarentur verba. Sed nondum hic impietatis ſuae ſtatuerunt

tuerunt modum. Eousque enim alius ex iſta ſocietate progreſſus eſt, vt adfirmare non erubeſceret, ab eo, qui, etiamſi inuincibiliter non ignoret, non tamen aduertat, Deum eſſe, aut eum peccatis offendi, peccatum mortale non committi; immo peccata ab eo commiſſa cum charitate perfecta & amicitia diuina conſiſtere poſſe: *peccatum, quantumuis grauiter rationi repugnans, commiſſum ab inuincibiliter ignorante, aut non aduertente, Deum eſſe, aut peccatis offendi, non eſt mortale. Stare poteſt cum charitate perfecta & amicitia diuina.* Quodnam itaque demum peccatum erit, quod non ſalua charitate perfecta & amicitia diuina committi queat? Num addi aliquid huic impietati poteſt? Nonne ad ſummum perducta eſt faſtigium? Immo nondum perducta eſt. Sunt enim rurſus, qui contendunt, etiamſi aliquis atrociſſimum ſcelus committat, nec atrocitatem eius ignoret, ad eam etiam, ſed tantum leuiter attendat, eum neutiquam graue aliquod, ſed leue admodum peccatum committere: *ſi quis committat adulterium, aut homicidium, aduertens quidem malitiam & grauitatem eorum, ſed imperfectiſſime tamen & leuiſſime; ille, quantumuis grauiſſima ſit materia, non peccat tamen, niſi leuiter. Ratio eſt, quia ſicut ad peccatum requiritur cognitio malitiae, ſic ad graue peccatum requiritur plena & clara cognitio & conſideratio illius.* Haec ſi non ſufficerent, longe plura adhuc addi poſſent, quae & auctor, quem antea laudauimus, larga manu ſuppeditabit. Aequi itaque nunc lectores, immo ipſi IAVORSKII amici iudicent, velim, quinam prauis cupiditatibus frena laxent, aut latam quibusuis vitiis viam aperiant,

riant, num nos an vero illi, qui talia docent, quibus omnis vitae humanae honeſtas labefactatur, tollitur, euertitur, quaeue ipſimet ethnici vehementer deteſtati ſunt? Quumque nullus dubitem, inter Ruthenos eſſe viros probos, & doctos quamplurimos, quibus talia magnopere diſpliceant; haud difficulter etiam intelligent, a quibus quam maxime ſibi cauere debeant, ne res chriſtiana apud eos detrimentum aliquod capiat, ne de aliis, iisque grauisſimis, quae ab iſtis hominibus illis imminent, periculis dicam.

Sed audire porro IAVORSKIVM iuuabit. *Tertium*, inquit, *ſignum falſorum prophetarum: veniunt ad nos induti pellibus ouinis, ſed intus ſunt lupi rapaces etc. Pellis eſt ouina, qua ſe tegunt, ſi de fide praedicant, fide ſola chriſtianum ſaluari etc. Sed lupi ſunt rapaces, dum hac pietatis ſpecie omnibus peccatis portas aperiunt. Quid enim ex hac impia doctrina ſequitur? Hoc ſequitur: trucida, furare, adulterare, falſum dic teſtimonium, fac, quae lubet, ipſi ſatanae aequalis fias malitia; nihilominus mitte metum; tantum crede; fides in Chriſtum ſola ſaluat. Ita hi lupi laruati docent.* Si lupi laruati ſunt, qui ſola fide, ſed vera, minimeque fucata, cuiusque fructus in bonis operibus poſt iuſtificationem conſpiciuntur, hominem ſaluari docent, tales etiam erunt Paulus, Petrus, ceterique apoſtoli, veteresque eccleſiae doctores longe praeſtantisſimi. Nihil luculentius de hac re dici poteſt, quam quod Paulus pronuntiauit: *exiſtimamus itaque, fide iuſtificari hominem, absque operibus legis, Rom. III. 28.* Quum enim duo tantum ſint, quae intuitu hominis, quando

quando coram tribunali diuino sistitur, in censum venire queant, *opera & fides*; sequitur, quando opera remouentur, fidei tantum locum concedi, adeoque perinde hoc esse, ac si dixisset, *sola fide* hominem iustificari. Si sola fide iustificamur, ergo & ea sola saluamur. Atque hoc est, quod alibi idem apostolus docet: *scientes, non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem in Iesum Christum, Galat. II. 16.* Dum ibi dicit ἐὰν μὴ, eiusmodi oppositionem indicat, qua soli fidei iustificatio tribuitur. Confirmat idem Petrus, quando adserit, *nos per domini nostri Iesu Christi gratiam seruari, quemadmodum & illi* (patres veteris testamenti seruati sint.) Gratiam nimirum Iesu Christi, qua fides hominum nititur, opponit operibus legis, de quibus in concilio isto Hierosolymitano disceptabatur. Dum ergo itidem opera legis hinc excludit; ad solam Iesu Christi gratiam, & intuitu adeo hominis ad solam fidem, rem omnem redire, ostendit. Quae Petri sententia quum in concilio isto Hierosolymitano fuerit adprobata; communem eam totius ecclesiae apostolicae fuisse, recte inde colligimus. Sed & iam alibi idem apostolus hocce effatum protulerat: *Huic* (Christo) *omnes prophetae testimonium perhibent, eum esse, per cuius nomen remissionem peccatorum consequantur, qui in nomen eius credunt, actor. X. 43.* Perinde enim hoc est, ac si dixisset, per solam fidem in Christum homines remissionem peccatorum aeternamque consequi salutem. Atque eamdem reliquis apostolis omnibus iure meritoque tribui sententiam, tum ex eo constat, quod ea totius scripturae sacrae

con-

conſenſu, &, vt iam obſeruauimus, concilii Hieroſolymitani adprobatione confirmetur, tum & inde, quod nullo aut exemplo aut teſtimonio comprobari queat, quemquam apoſtolorum aliter hac de re docuiſſe. Ad Iacobum enim quod attinet, is id tantum agit, vt oſtendat, quaenam verae fidei natura ſit atque indoles, eamque, quae bonis operibus, ceu fructibus, vim ſuam non demonſtret, nihil minus, quam fidem eſſe; quod quum & Paulus adſerat, atque contendat, nulla inter hoſce apoſtolos eſt pugna. Sed hac de re vt plura dicamus, huius loci non eſt Quae autem apoſtolorum, eadem & virorum apoſtolicorum in hocce capite fuit doctrina. Vel vnico CLEMENTIS Romani hoc comprobare iuuabit teſtimonio, quod vt illuſtre admodum eſt, ita nullam prorſus exceptionem admittit. πάντες οὖν, inquit, *ἐδοξάσθησαν καὶ ἐμεγαλύνθησαν, οὐ δι' αὐτῶν, ἢ τῶν ἔργων αὐτῶν, ἢ τῆς δικαιοπραγίας ἧς κατειργάσαντο, ἀλλὰ διὰ τοῦ θελήματος αὐτοῦ· καὶ ἡμεῖς οὖν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας· ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ θεὸς ἐδικαίωσεν· ᾧ ἔστω δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν·* *Omnes igitur* (Abrahami poſteri) *glorificati & magnificati ſunt, non per ſe ipſos, vel per opera ſua, aut iuſtas actiones, quas patrarunt, ſed per voluntatem eius. Sic & nos ex voluntate eius in Chriſto Ieſu vocati, non per nos ipſos iuſtificamur, neque per ſapientiam noſtram, intelligentiam, pietatem, vel per opera, quae in puritate*

cordis

cordis & ſanctimonia operati ſumus; ſed per fidem, per quam omnipotens Deus omnes ab initio iuſtificauit Cui ſit gloria in ſaecula ſaeculorum, amen. * Similia ex POLYCARPO, IVSTINO martyre, aliisue ſecundi, tertii & ſequentium ſaeculorum doctoribus adferrem, ſi apud viros antiquitatis eccleſiaſticae peritos, & a partium ſtudio remotos, vllum hac in re ſupereſſe poſſet dubium. Vnicum adhuc ex quarto ſaeculo audiamus BASILIVM magnum, qui non tantum ipſam hancce doctrinam accurate exponit, ſed & *ſola fide* nos iuſtificari, diſerte pronuntiat. Quum enim verba apoſtoli: *qui gloriatur, in domino glorietur,* adduxiſſet, addit: ἄυτη γὰρ ἡ τέλεια καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τις ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ᾽ ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιωμένον· *Nam ea demum perfecta & omnimoda gloriatio eſt in Deo, quando neque propter ſuam ipſius quis iuſtitiam extollitur, ſed agnoſcit, ſe quidem vera deſtitui iuſtitia, verum ſola in Chriſtum fide iuſtificatum eſſe.* **

Iam ſi ex noſtra, de ſola fide iuſtificante, ſententia tam horrenda conſequantur, prout IAVORSKIVS, eiusque magiſtri, aliis perſuadere cupiunt; iſta non minus Paulo, Petro, omnibusque apoſtolis, vt & primitiuae eccleſiae doctoribus praeſtantiſſimis, tribuenda erunt. Sed bene eſt, quod nemo talia ex noſtra, quae & ſcripturae ſacrae eſt doctrina, deriuare poteſt, niſi qui aut prorſus, quid per fidem

Q intel-

* *epiſt. I. ad Corinth. §. XXXII. p. m. 54.*

** *homil. XXII. de humilitate tom. I. operum p. m. 473.*

intelligamus, ignorauerit; aut tam omnis rationis expers ſit, vt quid dicat, quidue faciat, parum penſi habeat. Tantum enim abeſt, vt nudam quamdam atque otioſam animi cogitationem hac voce deſignemus, quae ſine mentis quadam mutatione, adeoque & ſine bonis operibus eſſe queat, vt potius eiusmodi *fidem, quae opera non habeat, per ſe mortuam eſſe*, cum Iacobo apoſtolo libere profiteamur, atque contendamus. Veram hancce atque conſtantem eccleſiae noſtrae eſſe ſententiam, verba luculentiſſima, quibus ſimul genuina fidei indoles egregie explicatur, ipſius beati LVTHERI, prout ea in *formula concordiae*, eiusque, *ſolida declaratione* recitantur, & hinc ab vniuerſa noſtra adprobantur eccleſia, abunde teſtantur: *Fides eſt diuinum quoddam opus in nobis, quod nos immutat, ex Deo regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis plane alios homines (in corde, animo & omnibus viribus noſtris) facit, & ſpiritum ſanctum nobis confert. Et eſt fides illa quiddam viuum, efficax, potens; ita vt fieri non poſſit, quin ſemper bona operetur. Neque fides quaerit demum, an bona opera ſint facienda, ſed priusquam de ea re inquiratur, iam multa bona opera effecit, & ſemper in agendo eſt occupata. Qui vero non ad hunc modum bene operatur, is homo vera fide caret; & vbi ſit fides, vbi bona opera, quaſi caecus palpando quaeritat, neque tamen quid fides, aut bona opera ſint, nouit: interim tamen multa inepte de fide & bonis operibus garrit & nugatur. Fides iuſtificans eſt viua & ſolida fiducia in gratiam ſeu clementiam Dei, adeo certa, vt homo millies mortem oppetere, quam eam fiduciam ſibi eripi pateretur. Et haec fiducia atque agnitio diuinae gratiae & clementiae*

laetos,

*laetos, animosos, alacres efficit, cum erga Deum, tum erga omnes creaturas; quam laetitiam & alacritatem spiritus sanctus excitat per fidem. Ita homo sine vlla coactione promtus & alacris redditur, vt omnibus benefaciat, omnibus inseruiat, omnia toleret, idque in honorem & laudem Dei, pro ea gratia, qua Dominus eum est prosequutus. Itaque impossibile est, bona opera a vera fide separare; quemadmodum calor vrens & lux ab igne separari non potest.** Quam vellem, vt omnes amici IAVORSKII, aut qui cum eo faciunt, haec verba legerent atque relegerent, & recte expenderent, indeque adeo discerent, quid vera fides sit. Hoc enim si intelligerent, perspicerentque, nullam sine bonis operibus veram fidem esse posse; desinerent quoque ineptire, & nugari pariter ac calumniari, ac si cum fide, quae sola iustificat, scelera quaeuis atque flagitia, consistere possent; aut ac si talem fidem, cui ista non repugnant, doceremus. Quo magis autem eiusmodi, quam isti nobis tribuunt, doctrinam detestamur execramurque; eo atrocior & grauior est calumnia ista, quam millies iam refutatam & profligatam, per summam impudentiam IAVORSKIVS repetere non dubitauit. Si paria reddere paribus liberet, longe rectius, quae nobis, nulla veritatis habita ratione, obiecit, in eos, quorum ductum sequutus est, retorquere possemus. Hos enim, eum, qui Deum esse ignorat, aut non aduertit, peccatum mortale committere, quidquid etiam agat, aut designet, negare, antea docuimus. Iam IAVORSKII tantisper vtamur verbis: *Pellis est ouina, qua se tegunt, cum de ignorantia Dei iurisque naturalis, qua ipsa principia, lo-*

* *artic. IV. pag. 701.*

quuntur etc. Sed lupi ſunt rapaces, dum hac doctrinae moralis ſpecie omnibus peccatis portas aperiunt. Quid enim ex hac impia doctrina ſequitur? Hoc ſequitur: trucida, furare, adulterare, falſum dic teſtimonium, fac, quae lubet; ipſi ſatanae aequalis fias malitia; nihilominus mitte metum; ſi modo tibi perſuaſiſti, non eſſe Deum, aut eum peccatis non offendi, ſaltem ſi non aduertiſti, nullum peccatum commiſiſti, tum enim iſta non ſunt peccata, certe non mortalia, quae ſaluti tuae nocere queant. Ita hi lupi laruati docent. Et iſti quidem, de quibus loquimur, reuera talia docent, ex quibus iſta non poſſunt non fluere; quum contra, noſtram de fide doctrinam ita comparatam eſſe, aperte falſum ſit, & a nemine mortalium comprobari queat.

Dum autem IAVORSKIVS hancce noſtram de fide iuſtificante doctrinam *impiam* vocauit, calumniae blaſphemiam addidit. Impia enim tunc etiam erit ipſius ſeruatoris doctrina, qui non aliam nobis ad ſalutem viam, quam fidem monſtrauit; *Marc. XVI. 16. Ioan. III. 16.* Impia etiam erunt, quae Petrus, Paulus, aliique apoſtoli ex inſtinctu ſpiritus ſancti docuerunt, aut litteris conſignarunt. Quodſi IAVORSKIVS iſtam de iuſtificatione per ſolam fidem ſententiam ad ductum ſacrarum litterarum recte expendere aut voluiſſet, aut potuiſſet; deprehenſurus facile fuiſſet, adeo eam impiam non eſſe, vt iure meritoque non tantum veriſſima, ſed & ſanctiſſima adpelletur. Per eam enim dum hominibus omnis gloriandi, ſuisque operibus, ac ſi iis aliquid promereri poſſint, ſeſe efferendi eripitur occaſio, honor gloriaque Deo, cui &, ceu vnico ſalutis noſtrae auctori, *ſoli*

debetur,

debetur, redditur. Idque eſt, quod ſapienter, vt omnia, Paulus apoſtolus docet: *Vbi eſt ergo gloriatio? Excluſa eſt. Qua lege? operum? non; ſed fidei lege, Rom. III. 27.* Per fidem nimirum omnem gloriationem excludi ſignificat: quum, ſi operibus iuſtificarentur, ſemper exiſtimare miſeri mortales poſſent, quod aliquam gloriandi cauſſam habeant; quod cum honore iſto, qui ſoli Deo tribuendus eſt, e diametro pugnat. Nihil aptius, vt homines ad veram humilitatem coram Deo perducantur, quam iuſtificatio per ſolam fidem; vt nihil contra ad innatam omnibus cordis elationem alendam fouendamque efficacius, quam ſi operibus, eorumque merito in iuſtificatione aliquid tribuatur. Hoc quum ignorent, aut non videant, qui contra noſtram de iuſtificatione per ſolam fidem doctrinam tantos clamores excitant, ſummam ſuam in rebus diuinis caecitatem mirum in modum produnt. Praeterea per hancce noſtram doctrinam homines ad veram Chriſti ſeruatoris agnitionem perducuntur. Quo magis homo agnoſcit, quod nulla ratione per ſua opera, quaecumque demum ſint, ſed tantum per meritum Ieſu Chriſti, vera fide adprehenſum, gratiam Dei veniamque peccatorum conſequatur; eo luculentius intelligit, quis qualisue ille ſeruator ſit, & quam ob cauſſam filius Dei homo factus inter mortales comparuerit; nimirum intelliget, illum eum eſſe, qui Ieſus vocatus eſt, *eo quod ſuos ab ipſorum peccatis vindicaturus eſſet; Matth. I. 21.* eum *agnum* iſtum *Dei eſſe, qui mundi peccatum tollit, Ioan. I. 29.* illum, qui *ſuo nomine poenitentiam & peccatorum veniam omnibus adnun-*

 tiari

tiari iussit, Luc. XXIV. 47. illum, *de quo omnes prophetae* testantur, *eum esse, per cuius nomen peccatorum veniam consequantur, quicumque in eum credant, actor. X. 43.* illum esse, quem *Deus* ἱλαστήριον *propitiatorium proposuit per fidem in eius sanguine collocandam, ad demonstrationem iustitiae Dei, Rom. III. 25.* intelliget, *rem certam esse, & omni adprobatione dignam, Christum Iesum in mundum venisse seruatum peccatores, 1. Tim. I. 15.* immo, eum *non ob iustitiae opera, quae fecerimus nos, sed pro sua misericordia seruasse nos, Tit. III. 5.* eaque de re eo minus dubitandum, quod ἱλασμὸς *propitiatio sit pro peccatis nostris*, vt Ioannes loquitur, *nec solum pro nostris, sed etiam totius mundi, 1. epist. II. 2.* Haec, inquam, & reliqua omnia eiusdem generis, quibus Christus, vt verus hominum redemtor, nobis repraesentatur, ille demum recte intelliget, qui summa sua ex peccatorum sordibus agnita miseria, in Christo, eiusque sanguine omnem fiduciam collocat, vt hac ratione peccatorum consequatur veniam, atque iustus in diuino iudicio reputetur; quum illis contra, qui in operibus iustitiam suam quaerunt, seque adeo iustitia Christi, seruatoris non indigere existimant, ista omnia sint obscura, mortua, otiosa, parumque cognita. Eam vero doctrinam, quae Christum talem exhibet, qualis reuera est, sanctam omnino dicendam esse, nec sine blasphemia impietatis argui posse, nemo, nisi qui omnem rationis vsum amisit, diffitebitur. Accedit denique, quod vitae sanctitatem, bonorumque operum studium adeo non impediat aut sufflaminet, vt nihil ea ad istud promouendum efficacius cogitari queat.

Bona

Bona opera cum fide insolubili vinculo coniuncta esse, antea docuimus, ea quidem ratione, vt nullo modo a se inuicem separari queant. Qui ergo fidem habet, non potest esse sine operibus, & qui his destituitur, frustra sibi fidem tribuit. Nec alia etiam Deo placere opera possunt, quam quae ex fide vera sunt profecta; siquidem *fieri nequit, vt illi sine fide placeant*, teste apostolo, *Ebr. XI. 6.* Vt enim per fidem vita illa spiritualis, quae ex Deo est, in hominibus, qui *mortui sunt in peccatis & delictis Eph. II. 1.* excitatur, & qui hucusque *filii irae* erant, *Ephes. II. 3.* *filii Dei* fiunt, *Ioan. I. 12.* ita *corda* etiam simul *purgantur, actor. XV. 9.* vt ceu *arbores bonae fructus bonos edere queant, Matth. VII. 17.* Itaque *in hoc omni studio*, secundum monitum Petri apostoli *imcumbunt, vt in fide exhibeant*, (aut vt alii vertunt: *acquirant) virtutem, in virtute scientiam, in scientia temperantiam, in temperantia patientiam, in patientia pietatem etc. II. epist. I. 5. 6.* Hinc &, quemadmodum spiritus sanctus fidem in nobis per verbum veritatis producit; ita fidei fructus merito censentur, quos Paulus *fructus spiritus* vocat: quales sunt: *charitas, gaudium, pax, clementia, benignitas, bonitas, fides* (prout virtutem quamdam significat) *lenitas, continentia; Galat. V. 22.* Atque ista quum doceamus, & quotidie vrgeamus, non tantum summam bonorum operum hoc ipso adserimus necessitatem; sed rationem etiam, opera, quae vere bona dici, Deoque grata esse queant, edendi, ostendimus. Vnde, quo iure a IAVORSKIO, eiusque magistris, doctrina nostra impia dicatur, omnibus, vt puto, satis superque constabit.

Super-

Superſunt IAVORSKIO adhuc alia quaedam, quae in nos coniiciat, tela, quae paucis repellemus. *Pellem*, inquit, *ouinam prae ſe ferunt, dum euangelio, ſeu laeto de Chriſto nuntio gloriantur. Sed lupi ſunt rapaces, dum nouum quoddam euangelium, non autem vetus illud, a ſanctis patribus, generalibus conciliis & tota orthodoxa catholica eccleſia receptum annuntiant.* Euangelicorum iure nobis vindicamus nomen, eo quod veram puramque euangelii doctrinam, quam erroribus grauiſſimis corruptam, & tantum non ſepultam beatus LVTHERVS iterum protraxit, profitemur, cuiusque ſumma eſt, quod Deus omnibus hominibus, quos admiſſorum ſerio poenitet peccatorum, quiue vera & non fucata fide Chriſti ſeruatoris meritum adprehendunt, peccata remittere velit. Quod quum ipſe hominum ſeruator docere, omnibusque hominibus adnuntiare iuſſerit, *Luc. XXIV. 47.* falſum iterum & inſignis calumnia eſt, quod nouum aliquod euangelium habeamus. Sequitur autem & hic IAVORSKIVS magiſtrorum ſuorum veſtigia, ſiquidem ex Romanae eccleſiae addictis, iampridem, vt alios nunc taceam, PETRVS CVTSEMIVS idem nobis obiecit, quod *ſub ſpecioſo euangelii nomine nouam doctrinam amplexi ſimus.** Dum autem IAVORSKIVS probare voluit, nos nouum aliquod euangelium adnuntiare, egregie id ſe feciſſe exiſtimat, quando adſerit, a nobis neutiquam *vetus* illud *a ſanctis patribus, generalibus conciliis, & tota orthodoxa catholica eccleſia receptum* doceri. Vbi initio ſtatim aut mentis imbecillitatem, aut

* in *Saxonia catholica p. 189.* refutatus ab HENRICO HOPFNERO in *Saxonia euangelica ſect. I. part. I. cap. III. p. 26. ſeqq.*

aut caussae suae infirmitatem prodit, dum scripturae sacrae nullam prorsus iniicit mentionem. Certe patrum, conciliorum, ecclesiae pluris apud se auctoritatem esse significat, quam scripturae sacrae; plane ac si aut patres, aut concilia, aut ecclesia sani quid atque recti docere potuerint, quod non ex scriptura sacra desumserint; aut ac si non patrum, conciliorum, & ecclesiae doctrina ad scripturam sacram, ceu vnicam veritatis normam, exigenda sit atque diiudicanda. Hanc itaque quum IAVORSKIVS vna cum illis, in quorum castris militat, negligant, parumque de ea sint solliciti; mirum non est, quod tot errorum irretiantur ambagibus. Patrum, praesertim eorum, qui in quatuor prioribus post Christum natum vixerunt saeculis, non contemnimus auctoritatem; eodem tamen, quo scripturam sacram, eos habendos loco abnuimus, quum homines fuerint, qui & errare potuerunt, & saepius etiam errarunt. Idem de conciliis censemus, vtpote in quibus itidem homines obnoxii erroribus sententiam dixerunt, & subinde maiorem constituerunt partem, vnde & illorum tum demum admittimus decreta, quando nihil in iis, quod scripturae sacrae repugnat, deprehendimus. Accedit vero, quod patres quatuor priorum, immo etiam sequentium quorumdam adhuc saeculorum, saltem praecipui in eo, quod caput caussae est, eadem, quae nos, docuerint, vt adeo longe rectius, quam dissentientes, ad eorum consensum prouocemus. Id quod multo magis de conciliis generalibus quinque priorum saeculorum, Nicaeno, Constantinopolitano primo, Ephesino &

Chalcedonenſi adſerimus, quorum ſymbola & decreta toto pectore amplectimur, quemadmodum & ſymbolum apoſtolicum, Nicaenum, aut potius Nicaeno-Conſtantinopolitanum, atque Athanaſianum primum in libris eccleſiae noſtrae ſymbolicis occupant locum. Quod autem ſequentium ſaeculorum concilia, praeſertim Nicaenum illud ſecundum, non admittimus, id eodem nos iure facere exiſtimamus, quo Graeci concilia quaedam, quae Romanae eccleſiae addicti pro vniuerſalibus venditant, interque ea ipſum Tridentinum repudiant. Quum euangelium noſtrum, de quo IAVORSKIVS loquitur, reuera idem illud ſit, quod a patribus primitiuae eccleſiae receptum, vt & a conciliis vniuerſalibus, ſaltem quinque priorum, immo & ſequentium quorumdam ſaeculorum receptum, certe non improbatum eſt, ne quid de ſcriptura ſacra ipſa dicam, illud neutiquam nouum, ſed ex ipſius IAVORSKII ſententia vetus iſtud & genuinum eſſe, conſequitur. De eccleſia orthodoxa & catholica vt aliquid addam, neceſſe non eſt, quum eius non aliunde, quam ex ſcriptis patrum & decretis conciliorum cognoſci queat doctrina.

Iam ad imagines ſuas redit IAVORSKIVS, ſimulque exemplo ſuo comprobat, quod viris doctis obſeruatum eſt, cum ſuperſtitione plerumque acerbiſſimum aliorum, qui non eamdem fouent ſententiam, aut commodis noſtris aduerſantur, odium, immo furorem quemdam coniunctum eſſe. *Corporis*, inquit, *inclinationem, quae ſanctis ſit per imagines repraeſentatis reiiciunt.* Recte id facimus, quum iſta corporis

poris

poris inclinatio cum cultu quodam religioſo ſit coniuncta, adeoquae ſoli Deo debetur. Quum vero etiam ſancti illam corporis inclinationem non videant, imagines autem nec videant, nec intelligant; quem, quaeſo, in finem ea ſuſcipitur? Num IAVORSKIVS vitio nobis vertere poteſt, quod idololatriae addere nolimus ſtultitiam? Interim, ſi illa non adeſſet, per nos quidem hominibus iſtis inſanire liceret. Sed pergat IAVORSKIVS, & quam egregie in arte mentiendi profecerit, demonſtret: *Sed hoc ipſos excitat, & dentes quaſi exacuit ipſorum, quod ſumma cum pietate* (quo ſenſu hic vocem *pietas* acceperit, neſcio) *adſpiciant apud nos diuinas imagines argento, auro, & pretioſis gemmis decenter & pie ornatas. Hunc ſanctum theſaurum ſacrilegi deripere cupiunt; (vt variis in regnis iam fecerunt) ſpecie zeli malitiam ſuam occultant, ad exemplum Iudae (Jſchariotae) qui non de pauperibus ſollicitus, ſed fur erat.* Quam vellem, vt IAVORSKIVS vel vnico, eoque fide digno, & ad rem faciente, quod dixit, exemplo comprobaſſet. Ad noſtrates quod attinet, quum doceamus, non quidem adorandas, tolerandas tamen imagines, ſi qui fuerunt, qui imagines aut confregerunt, aut ex aedibus ſacris exturbarunt eieceruntque, id nobis, qui talia vehementer deteſtamur, tribui nulla ratione poteſt. Ex aliorum coetuum hominibus, ſi qui eiusmodi quid deſignarunt, multo minus id fieri debet. Et horum quidem licet aut defendere aut excuſare facta nolimus; plerumque tamen ex zelo potius quodam nimio & inconſulto, quo & ipſe IAVORSKIVS laborat, quam ex cupiditate theſauros

ſacros, aut pretioſa imaginum ornamenta diripiendi, ea profecta eſſe, conſtat. Eſto autem, exſtitiſſe interdum (quod tamen, vti dixi, teſtimoniis fide dignis probandum eſt) homines, qui auaritia aut auiditate opum inducti, violentas imaginibus iniecerint manus; eiusmodi hoc eſt, vt nemo vmquam aut ex noſtratibus, aut reformatae eccleſiae doctoribus, hoc probauerit; vnde grauiſſimae ſunt atrociſſimaeque calumniae IAVORSKII, dum ita loquitur, ac ſi proteſtantes omnes, aut tota eorum eccleſia, talia facinora calculo ſuo adprobent. Certe niſi omnem pudorem exuiſſet metropolita noſter, non potuiſſet ad tantam audaciam atque proteruiam progredi.

Tandem ad finem properans, *ſed ne multis*, inquit, *ſim vobis moleſtus* (vtique diu ſatis lectori, veritatis amanti, tot calumniis ac mendaciis moleſtus fuit) *poſtremum a Chriſto propoſitum ſignum horum ouinis pellibus tectorum luporum referam. Ex fructibus ipſorum pernoſcetis eos. Sed quales ſunt fructus hodiernorum haereticorum? etc. Cogitatisne, aduerſarii, quod ignoremus vitam archi-rabbini veſtri, a quo omnes recentiores haereſes prouenerunt, Martini Lutheri?* Credo omnino, vitam LVTHERI IAVORSKIO haud ignotam fuiſſe. Quid enim tantum tamque eximium virum lateat? Sed an ab auctoribus fide dignis, & a partium ſtudio remotis eam acceperit, id quidem eſt, de quo valde dubito. Immo quum illi, ex quorum diſciplina prodiit, IOANNEM COCHLAEVM, FLORIMVNDVM RAEMVNDVM, aliosque eiusdem generis mendaciorum architectos, & qui reliquis callidior, *non*

autem

autem melior eſt, LVDOVICVM MAIMBVRGIVM ſequi ſoleant; ex hisce ſimilibusque eum ſua hauſiſſe fontibus, ſi dicamus, a vero non aberrabimus. Si autem vitam MARTINI LVTHERI non ignorauit, cur non, quid in ea deſiderandum ſit, expoſuit? Hominem fuiſſe LVTHERVM nouimus, adeoque & naeuorum, qui in ſanctiſſimos quoque viros cadunt, non expertem; ſimul tamen donis eximiis virtutibusque praeſtantiſſimis ornatum, prorſusque ad opus iſtud perficiendum aptum, quod Numinis prouidentia per eum perfici voluit. Idque nec ipſi eius prorſus inficiari audent aduerſarii, quorum nonnulli ſummum eius non laudare nequeunt candorem; quo ſi & IAVORSKIVS praeditus fuiſſet, tot commentis & calumniis tum conſcientiae, tum famae ſuae & exiſtimationi labem non adſperſiſſet. Quae autem COCHLAEVS, RAEMVNDVS aliique LVTHERO obiiciunt vitia, eorum virum iſtum beatiſſimum immunem fuiſſe, *toties* tamque luculenter ab *iis, qui ex inſtituto* defenſionem eius ſuſceperunt, demonſtratum eſt, vt actum agerem, ſi ea repetere, aut aliquid addere vellem. Quem vero in finem iſtud nobis obiicit IAVORSKIVS? num vt inde euincat, doctrinam noſtram falſam eſſe, quia praua variisque vitiis commaculata fuit vita LVTHERI? Id ſi ſibi velit, vt velle videtur, vehementer errat. Non auctoritate LVTHERI, ſed ſcripturae ſacrae teſtimonio doctrinam noſtram fidemque niti, antea iam profeſſi ſumus, iterumque profitemur. Quamdiu itaque ſecus ſentientes non probant, nos docere aliquid, quod ſcripturae ſacrae repugnet, aërem ver-

 berant,

berant, nihilque obtinent. Praeterea, ſi vel maxime vita Lutheri ita comparata non fuiſſet, prout debuerit; (quod tamen nulla ratione concedimus) num inde ſtatim ſequitur, doctrinam quoque eius falſam fuiſſe? Hoc enim ſi ita ſe habeat, gladium nobis porrigit IAVORSKIVS, quo contra Romanam feliciſſimo ſucceſſu vtamur eccleſiam, cuius tam ſtrenue ille cauſſam agit, immo in cuius gratiam tantum aut zelum, aut omnino furorem contra proteſtantes animo concepit. Genuinos enim eccleſiae iſtius filios, quos inter Ieſuitarum ſocietati adſcriptos primum tenere locum conſtat, palam & omni conatu id agere, neminem fugit, vt orbi perſuadeant, falli atque errare pontificem in doctrina non poſſe, eiusque adeo decreta, ceu oracula quaedam diuina, de quorum dubitare veritate nefas ſit, excipienda eſſe. Id enim vero quam falſum, quamue abſonum ſit, licet aliis euidentiſſimisque doceri rationibus, & ipſa experientia oſtendi queat; vnicum tamen hocce, ſi IAVORSKII ratiocinatione vti vellemus, ſufficeret argumentum, quod quorumdam pontificum tot flagitiis, tot ſceleribus contaminata vita fuerit, mores tam foedi tamque impuri, vt ſine horrore, quae ſcriptores fide digni, immo ipſi eccleſiae Romanae addicti, de illis memoriae prodiderunt, legi nequeant. Si quis hac de re dubitet, eum rudem atque ignarum eorum omnium, quae in eccleſia Romana geſta ſunt, eſſe oportet. Vel vnicum Alexandri VI. pontificis exemplum vt dictis fidem conciliemus, ſufficiet, de quo omnes vnanimi conſenſu tam nefanda & abominanda commemorant,

rant, vt, num homo an potius monſtrum hominis fuerit, dubitari poſſe videatur. Atque haec longe rectius Romanae eccleſiae addictis opponimus, quam illi ſua de Lutheri vitiis commenta nobis obiiciunt; quum & veriſſima ſint, & cum infallibilitate, quae ab illis pontifici, a nobis autem neutiquam LVTHERO tribuitur, conſiſtere nequeant. Ne autem IAVORSKIVS nihil omnino, quo probet, vitam LVTHERI ſibi non ignotam fuiſſe, dixiſſe videatur, ita pergit: *Totus orbis vaferrima ipſius facta nouit;* quaenam? ſi viri ſunt amici IAVORSKII, doceant, quaenam iſta fuerint? Veram euangelii doctrinam LVTHERVS luculenter expoſuit, eamdem omnino intrepide propugnauit, myſterium iniquitatis in eccleſia Romana ſtrenue detexit, errores quosuis fortiter profligauit; a dolis omnibus, fallaciis, fraudibus, quam longiſſime abfuit. Vnde itaque vaferrima iſta facta? quae quum nullibi, quam in IAVORSKII cerebro exſtent; ea tamen toti orbi nota eſſe, perſuadere aliis voluit. Iam patebit, quid de iis cenſendum ſit, quae porro ſubiicit: *& veſtram miratur caecitatem, quod talem deceptorem ſequamini, latamque ingreſſi ſitis viam, vitae commodorum amore capti.* Et nos IAVORSKII miramur caecitatem, quod aut ſuperſtitione ductus, aut aliis rationibus abreptus, non perſpiciat, quas inſidias illi, a quibus talia hauſit, eccleſiae Ruthenicae ſtruant; aut ſi eas perſpexit, multo magis animi peruerſitatem, quod perniciem & interitum eccleſiae, cuius ſe membrum eſſe profitetur, ceu deſertor aliquis atque turpiſſimus proditor, promouere non dubitet. Calumniam iſtam, quod *vitae com-*

modo-

modorum amore capti latam ingressi simus viam, non moramur, quum, quid ad eam respondendum sit, ex iis, quae antea disputauimus, quilibet perspicere queat.

Nec obscurum denique iis, qui ea, quae hucusque disseruimus, rite ponderauerint, erit, quo loco haecce eius habenda sit conclusio: *Propter has diabolicas fraudes* (nullas in nobis IAVORSKIVS detexit fraudes, multo minus eas diabolicas esse demonstrauit) *vos orthodoxae ecclesiae filios rogo etc. Amicitiam cum talibus ineundam aut sermones serendos quoscumque prohibet atque interdicit sanctus Paulus, praesertim iis, qui sacrarum litterarum parum gnari sunt, II. Tim. II. 16. II. Tim. III. 5. Tit. III. 9. 10. II. Thess. III. 14. Haec monita Pauli sequere atque obserua, orthodoxe ecclesiae fili, & euita amicitiam atque sermones cum peruersis, memor dicti, Psalm. XVI.* Quod tam grauiter IAVORSKIVS suos admoneat, vt omnia cum nostris fugiant commercia, vitio ei adeo vertere non possumus, quum hominum superstitione excaecatorum, aut intempestiuo zelo flagrantium hunc esse morem, nemo ignoret. Dolemus tantum, quod quum ostendere voluerit, sacrarum litterarum se minime rudem esse, dictorum ab eo adlatorum minus feliciter illi cesserit adplicatio. Paulus equidem βεβήλους κενοφωνίας *profanas verborum futilitates* euitare iubet, *II. Tim. II. 16.* Sed quid hoc ad nos? qui scripturae sacrae vnice insistentes vestigiis, toto pectore profanas vocum futilitates detestamur. Idem apostolus Timotheum adhortatur, vt auersetur eos, *qui pietatis speciem habent, sed vim eius abnegant, II. Timoth. III. 5.* Quod an non rectius in eos, qui ieiunia crepant, de

morti-

mortificationibus loquuntur, imaginum cultu se efferunt, quam in nos, qui cum Paulo apostolo, in Christo nihil aliud, quam τὴν πίςιν δι' ἀγάπης ἐνεργȣμένην valere, *Galat. V. 6.* docemus, quadret, omnibus, qui a partium studio remoti sunt, diiudicandum relinquo. Verba Pauli: *stultis autem quaestionibus & genealogiis & litibus pugnisque legalibus supersedeto, sunt enim inutiles atque futiles, Tit. III. 9.* nihil ad rem faciunt, nec instituto IAVORSKII inseruiunt. Praecipue equidem, quae sequuntur: *haereticum hominem post vnam atque alteram admonitionem declinato*, in animo habuisse videtur. Sed bene est, quod IAVORSKII eique similium hominum nobis neutiquam standum cadendumue sit sententia. Si quibusuis licet a se dissentientes pro lubitu in haereticorum numerum referre, eamdem, quam sibi in nos sumunt, iure quoque nobis in illos vindicabimus potestatem. Nec sufficit, errores quosdam alicui adfingere, aut vera dogmata pro erroribus venditare; quod qui faciunt, pessimis haereticis deteriores esse, iure censentur; sed ingenue aliorum sententiae exponendae, & si a nobis dissentiant, rationibus luculentis grauissimisque refutandi sunt; quod si fiat, tum demum, cuinam haereseos inurenda nota sit, patebit. In eo, quod vltimo loco attulit, effato *II. Thess. III. 14.* Paulus ne quidem de haereticis, aut in doctrina dissentientibus, sed de iis, qui vitam non ita, vt decet, instituebant, & otio indulgebant, agit. Antea dixerat: *audimus quosdam apud vos immodeste viuere, & nihil agere, sed superuacanea agere; iis nos edicimus, eosque per dominum nostrum Iesum Christum hortamur, vt quiete operantes sibi victum quaerant. Vos vero fratres nolite recte agendo fatigari;* atque tum subiungit: *Quod si quis dictis*

 no-

nostris non obtemperat, eum per epistolam significate, & ab eius commercio abstinete, vt eum pudeat; neue eum pro inimico habete, sed vt fratrem castigate. Cuiusmodi homines quum haud dubie etiam inter amicos IAVORSKII sint, illi, si sibi hoc dictum esse existimauerint, non errabunt. Ceterum non aegre ferent, qui cum IAVORSKIO faciunt, si monitis eius & illud Pauli apostoli addam: *Propterea deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo; quoniam sumus inuicem membra; Eph. IV. 25.* Hinc & ipsius IAVORSKII porro mihi liceat vti verbis: *Hoc monitum Pauli sequere atque obserua, orthodoxe ecclesiae fili, & euita calumnias quasuis & mendacia, memor dicti: odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium; virum sanguinum & dolosum abominabitur dominus; Psalm. V. 7.*

Atque haec sunt, VIR DOCTISSIME, quae ad ecclesiae nostrae innocentiam vindicandam, vt TVIS aliorumque precibus locum relinquerem, ad IAVORSKII obtrectationes respondere volui. Quae vt viris doctis sapientibusque & rerum istarum peritis, quales haud paucos inter Ruthenos esse scio, haud ingrata erunt, ad commoda quippe ecclesiae Ruthenicae promouenda, & pericula, quae ab iis, ex quorum schola IAVORSKIVS prodiit, illi imminent, ab ea auertenda, comparata; ita si amicis IAVORSKII, aut eadem cum illo sentientibus displiceant, non tam mihi, quam IAVORSKIO, zelo suo inconsulto & intempestiuo nec finem nec modum ponenti, irascendi se habere caussas, si sapiunt, facile intelligent. Vale, VIR CLARISSIME, &, quod facis, mihi porro faue. Scrib. Ienae Kal. Iun. MDCCXXIX.

S. D. G.